Animalis homo:

CONCIO

LATINE HABITA

AD

Academicos Oxonienses;

Nono die Octobris, 1649.

PRO

INCHOANDO TERMINO.

AUTHORE

ED. REYNOLDO S. T. D.

Academiæ Procancellario:



Londini, Excudebat *T. Ratcliffe* pro *Georgio Thomasono*, apud signum Rosæ & Coronæ in Cœmiterio Paulino, 1659

Animalis homo:

CONCIO

LATINE HABITA

AD

Academicos Oxonienses;

Nono die Octobris, 1649.

PRO

INCHOANDO TERMINO.

AUTHORE

ED. REYNOLDS, S. T. D.

Academiæ Procancellario.



Londini, Excudebat *T. Ratcliffe* pro *Georgio Thomasono*, apud signum Rosæ & Coronæ in Cœmiterio Paulino, 1659



Honoratissimo Clarissimoq; viro

D. *CHRISTOPHERO YELVERTONO*,

BARONETTO,

ET

Equiti Aurato, Fautori suo

semper colendo.

Honoratissime Vir,



Um me ad Secundas regiminis Accademici curas nobilissimi Cancellarii nostri literæ vocarent, id mihi præcipuè in votis fuit, sepulta penè inter belli Civilis motus, & collapsa Sacræ Theologiæ exercitia pro virili parte meâ in integrum restituere. Consilium hoc quò certius effectum darem, visum est meo quali quali exemplo, & Laboris

consortio fratribus ac symmistis praire, ut, quod humani ingenii est, propere sequerentur quæ forsan pigniu inchoare. Cùm autem per singula penè momenta ingens premeret negotiorum moles, atq; huic consilio obicem poneret, ruri me in secessum recipio, ut per aliquot dies inter Libros delitescens, me voti hujus reum liberarem. Divinâ favente gratiâ rem exegi. Jamque id à me efflagitant amici ut opellam publica luce donarem. Suadentibus duplici de Causâ obsequentem me præbeo. Primò quia non prorsus inutilem futuram sperarem exercitatiunculam istam Juventuti Academicæ, Sacræ præsertim Theologiæ Candidatis, ut tali monitore inter bonarum literarum Studia, veræ insuper pietati operam impendere addiscerent, quando nec propria saluti, nec usibus Ecclesiæ, nec Divinis oraculis debitè inservire possent, quamvis exquisitissimis ingenii omnisq; literaturæ dotibus instructi, nisi simul Spiritu Christi cœlestique Sapientiâ Evangelicis Mysteriis amplexandis percipiendisque redderentur idonei Deinde ut hac, quamvis tenui & perexiguâ grati animi tesserâ publicè testatum darem quàm me tibi

bi multis nominibus obæratum teneas. Præsertim quòd inter flagrantes Belli Civilis motus, protinus imminutâ re mea familiari, collapsa valetudine, & vix aliqua vitæ spe residua, in mediis ærumnis sponte tua, nullis precibus aut sollicitatione impulsus, consilio, ope, munificentia tua languentem erigere, ac fovere dignatus es. Neque enim mihi unquam è memoria excidere debet, aut tua, aut integerrimi viri D. Zouchi Tati *de rebus meis fractis & imminutis cura antiquissima. Quid meis dixi? Cum universa penè in finibus vestris sacris Militiæ & Evangelici Ministerii Cohors optimos vos & Pietatis & Doctrinæ Patronos sentiant predicéntque.*

Deus Opt. Max. Te, *unà cum lectissima Conjuge, Liberísque Suavissimis sub alarum suarum præsidio conservet, & pro Summa tua in Evangelii Ministros pietate æternam mercedem retribuat. Ita animitùs precatur*

E Musæo meo in Æde Christi *Oxon.* IV. Idus *Nov.*

Dignitati tuæ in Christo obstrictissimus,

ED. REYNOLDUS.

[illegible] Pro-
[illegible] no-
[illegible] promptus [illegible] re mea familiari, col-
[illegible] consuetudine, & [illegible] alia spe re-
[illegible]
[illegible]
magnificentia tua [illegible] erigere, ne severe dignatur er. Neque enim mihi [illegible] ve-
[illegible]
[illegible] D. Zouch [illegible] de rebus meis [illegible] &
[illegible] cura antiquissima. Quid meis dixi? Communione [illegible] in publicis [illegible] Mi-
[illegible] & [illegible] optimi
[illegible] & Pietatis & Doctrinae [illegible] sen-
tiunt praedicantque.

Deus Opt. Max. Te, una cum [illegible] Conjuge, Liberisque Suavissimis [illegible] [illegible] praestito conferet, & pro [illegible] in Evangelii [illegible] prosperitate aeternam mercedem retribuat. Ita animitus precatur

E Musaeo meo in [illegible] de Christi Oxon. [illegible]

[illegible]

ED. REYNOLDUS.



ANIMALIS HOMO.

1 COR. 2. 14.

Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι. καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται.

Animalis autem Homo non percipit ea quæ ſunt Spiritûs Dei, ſunt enim ei ſtultitia: Et non poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur.



Copus Apoſtoli in tribus primis hujus Epiſtolæ capitibus eſt, ſchiſma in Eccleſiâ Corinthiacâ ortum arguere, & quantum fieri potuit ei extirpando medicinam admovere.

Quoniam autem causâ morbi cognitâ faciliùs remedia adhibentur, hujus ſchiſmatis cauſam inter alia oſtendit eſſe grandiloquentiam & ambitionem Pſeudo-Apoſtolorum, qui quum ſermonis elegantiâ, ingenii acumine, ſapientiâ

entiâ carnis, oratione comptâ, & verborum Lenociniis animos auditorum pellicerent, Apoſtolo Paulo hoc nomine, utpote omnem fucum, & inanes loquendi blanditias ultro aversanti, invidiam ſtruunt, quaſi Evangelium Chriſti eâ quâ decuit magniloquentiâ deſtitutum infidelium ſannis & ludibrio exponeret.

Atque hinc occaſione arrepta variis argumentis oſtendit non tantum inutilem & noxiam eſſe hujuſmodi carnis in prædicando Evangelio ſapientiam, ſed tanto myſterio indignam protinus; cum hac ratione evacuetur crux Chriſti, *Cap.* I. 17. nec tam Dei quam humani ingenii virtus agnoſcatur, quæ vi crucis proſterni debuiſſet. *v.* 18, 19. Neque enim ſuperbæ hominum curioſitati ſeſe ſubmittit, aut accommodat doctrina Chriſti, ſed quam illi quaſi ſtultitiiam reſpuunt in ea ſingularis Dei potentia & ſapientia elucet, *à* verſu 19. ad finem capitis primi.

Mirum itaque eſſe non debet ſi Apoſtolorum doctiſſimus, & qui (modo *è* re Eccleſiæ fuiſſet) facillime ſermonem ſuum Rhetorum lenociniis ornare potuit, ſimplicem potius adhibuerit prædicandi rationem, ut hoc pacto conſpicua magis fieret potentia Dei, qui ignominioſa morte redimi electos voluit, & quaſi ſtulta prædicatione ad redemptionem amplexandam efficaciter converti. *cap.* II. 1, 2, 3, 4, 5.

Nec tamen, quamvis verborum & humanæ ſapientiæ pompa deſtitueretur Paulina prædicatio, ideo nulla in ea ſapientia, nulla venuſtas elucebat; ſed cæleſtis, ſed ſpiritualis, ſed Evangelii

myſterio

mysterio, animarum saluti, fidelium gustui, materiæ denique substratæ admodum attemperata; quæ doctrinam spiritus, profunda Dei, mentem Christi, divina Eloquia oratione piâ, Sanctâ, efficaci, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως explicaret, quæ intimas hominum conscientias instar ancipitis gladii perrumperet, & *captivam duceret cogitationem omnem in obsequium Christi.*

Summa est; ut Christus ipse sese ultro *exinanivit, formam servi accepit*, omnium denique rerum indigum exhibuit, nequid à Seculo mutuari videretur ad Ecclesiæ salutem promerendam: Ita salutis istius prædicationem ab omni vaniloquentia, & Suadæ, uti loquuntur Rhetores, medullâ abhorrere voluit, solâque cœlestis gravitatis & spirtualis ἀποδείξεως efficaciâ vim suam exerere. Phil. 2.14. 2 Cor 8.9.

Nec tamen contendit hæc Apostoli Apologia, quasi Concionatoribus quaslibet loquendi sordes, & quicquid in buccam venerit effutiendi libidinem, nullo sensu, methodo, gravitate, judicio, dictaret. Quis enim *Paulo* nostro aut conscientiis hominum altiùs intonat? aut argumentorum pondere firmiorem assensum cogit? quis suavi magis, sed cœlesti, vi affectus in transversum rapit? & omnia Satanæ, Carnisque ὀχυρώματα prosternit? adeo, ut inter vota sua habuerit *Augustinus Christum vidisse in carne*, Paulum *audivisse è suggestu*, quem, nisi malè memini, *Tubam* appellat *Christi*, & *Dei nubem*, ut *quot verba tot tonitrua* auribus suis insonare viderentur: Sed inanes verborum flosculos & calamistros reprehendit, quibus ψευδοδιδάσκαλοι suæ potiùs ambitioni quàm Christi Evangelio inservirent,

servirent,

ſervirent, nec tam *mentes* hominum *luce* perfunderent, aut *conſcientias calore* pietatis excitarent, quàm prurientes auriculas inani & mox emoriturâ voluptate afficerent.

Verba Textus obviam videntur ire objectioni. Nempe ſi Sapientiam revera prædicet Apoſtolus, uti dictum priùs *ver.6.* quî fit ut eam non recipiant, qui ſe totos altioribus Sapientiæ myſteriis perſcrutandis dederint?

Reſpondet Apoſtolus: *Sapientiam loquimur*, ſed *non hujus ſeculi*, verſ. 6. Sed Dei, & *in Deo abſconditam*, verſ. 7. Sed quæ omnes naturalis diſciplinæ aditus, *Oculos*, *Aures*, *Mentes* etiam prudentiſſimorum hujus ſeculi principum excedit. *Ver.* 8, 9. Sed quæ nullo Rationis conatu, ut reliquæ Scientiæ, è principiis per ſe notis extrahitur, ſed ſolo Spiritu Dei patefaciente innoteſcit, qui ſolus *ſcrutatur profunda Dei*, verſ. 10. Ut enim Animalia quæ infra gradum rationis poſita ſunt, mentis humanæ diſcurſus & conſilia ſenſuum perſpicaciâ non attingunt: imo nec Homo quiſquam interiores mentis alicujus conceptus novit, niſi ſpiritus Hominis eos priùs protulerit: Ita altum illud de ſalute noſtra Dei Patris conſilium nullum Humanæ Rationis acumen, niſi præeunte Spiritûs ſancti in Evangelio *patefactione*, & in mente *ſpeciali lumine* ac *auxilio* penetrare aut percipere poteſt. *verſ.* 11, 12, 13. Quod ipſum hiſce verbis & de novo repetit & ratione confirmat.

Duplicem enim propoſitionem duplici Argumento probat.

Pro-

Propoſitiones.

1. ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. Animalis Homo non recipit quæ ſunt Spiritûs Dei.

2. ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δύναται γνῶναι τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. Animalis Homo non poteſt cognoſcere quæ ſunt Spiritûs Dei.

Argumenta.

1. Οὐ δέχεται, μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι. Non recipit, quia ſunt ei ſtultitia.

2. Οὐ δύναται γνῶναι ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Non poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur.

Jam ut iſta explicatiùs percipiantur, *Quærendum* hîc occurrit,

1. Quid ſibi velit Apoſtolus per ψυχικὸν ἄνθρωπον. Non mihi arridet Danielis Heinſii ad Helleniſmum ſe recipientis judicium, ut idem ſit ψυχικὸς noſter qui Solomoni, *Prov.* XXIII. 2. בעל־נפש *Vir Appetentiæ*, ſive ut ſeptuaginta Interpretes reddunt ἀπληστότερος, quaſi Beſtialem Hominis appetitum & Ignorantiam vox iſta denotaret, quamvis, (ne id taceam) non deſint qui verbis Solomonis hominem deſignari volunt *Judicio pollentem.* Nec ψυχικὸν hunc cum Eſtio *Adultis*, *perfectis*, ſenſus habentibus exercitatos, & qui Solidioris Cibi capaces ſunt, opponi crediderim, ut idem ſint ψυχικοὶ qui *parvuli*, *Lacte nutriendi*, *imbecilles ad audiendum*, *infirmi in fide*, qui altiora fidei myſteria nondum recipiunt. (Cui tamen Sententiæ Auguſtinum

 paſſim

passim favere observo.) Nec sane protinus excludendos dixerim Homines *Regenitos*, in quantum scilicet *Rationi naturali* nimiùm indulgent, & ex intelligentia Carnis de rebus divinis judicant.

Verùm cum Homo ex *Carne* & *Anima* constet, Sitque *Anima* pars Hominis præstantior, quamvis sæpiùs irregenitos propter Appetitum in vitia pronum, atque præcipites concupiscentiæ motus, σάρκα, & σαρκικοὺς Apostolus noster appellet: hîc tamen hujusmodi Homines *à præstantiore parte* denominat, ut eos se intelligere ostendat, non qui libidinis mancipia sunt, & crassis Concupiscentiis vel nativum Lumen obruunt, (hujusmodi enim Homines ἄλογα ζῶα vocat Apostolus, 2 *Pet.* II. 12.) sed homines Sapientiæ studio debitos, & qui ea solâ quæ stulta & absurda sunt, rejicere solent.

Hîc itaque ψυχικοὶ sunt quotquot τὸ πνεῦμα οὐκ ἔχοντ Explicante Apostolo *Judâ* Epistolæ suæ, v. 10. utcunque aliàs exquisitissimis naturæ dotibus præfulgeant, utcunque *potissimam partem*, nempe *Animam* omnigenâ eruditione excolant, et rectissimè ad præscriptum Rationis vitam dirigant. Denique eos hic ψυχικοὺς vocat quos supra *Sapientes*, *Scribas*, *Disquisitores*, et istius *seculi Principes* appellaverat, ut excludatur quicquid est nativæ aut acquisitæ perfectionis, quo naturæ viribus assurgere possit Ratio humana. Sic *Animalem* nostrum explicat Augustinus, qui secundùm Hominem sapit, ὁ μόνην τὴν ἔμφυτον σύνεσιν ἀνθρωπίνην ἔχων, ut optimè Græcus Scholiastes. ὁ τὸ πᾶν τοῖς λογισμοῖς τῆς ψυχῆς διδοὺς, καὶ μὴ νομίζων ἄνωθεν δεῖσθαι βοηθείας. ut rectè Chrysostomus. ὁ φυσικῇ ἀκολουθίᾳ πάντα γίνεσθαι οἰό-

Tract. 98. *in Joann.*

μενος

ἀθλιος, καὶ μηδενὶ περὶ φύσιν. uti Theophylactus. Qui denique nihil in se eximium habet, præter *Animam Rationalem* cujus solius lucem ductumq; sequitur.

Quærendum Secundò, quid sibi velit Apostolus per τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ Nempe τὰ τοῦ Θεοῦ norunt etiam Gentilium Philosophi, docente Apostolo, *Rom.* I. 19, 21. τὰ δὲ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ sunt 1. Ea regni Christi *mysteria* quæ sola Spiritûs sancti *patefactione* non Ecclesiæ solùm, sed et Angelicis potestatibus nota fiunt, uti docet Apostolus, *Eph.* III. 10. Πᾶς γέγονε διὰ θανάτου ζωὴ, καὶ δικαιοσύνη διὰ τῆς ἀτιμίας, καὶ διὰ τῆς κατάρας εὐλογία, καὶ δόξα διὰ τῆς ἀτιμίας, καὶ διὰ τῆς ἀσθενείας ἡ δύναμις· πῶς ἡ ζωὴ θανάτῳ μίγνυται, *&c.* uti locum illum fusè et eleganter explicat Gregorius Nissenus. 2. τὰ τοῦ πνεύματος sunt ea etiam ἐνεργήματα quibus cor hominis aliàs cæcutientis aperit, ipsique intellectum, et vim percipiendi, diligendi, obsequendi infundit: qualem spiritûs efficaciam ἔλεγχον appellat Christus, *Joan.* XVI. 8.

Nyssen. Hom. 8. in cant.

Quærendum Tertiò, Quid sit hic οὐ δέχεται: Neq; enim consentiunt Interpretes. *Metaphoram* subesse judicat doctissimus *à minoribus vasculis*, quæ proportionem et capacitatem suam excedentia non recipiunt. Grotius idem vult esse quod mox γνῶναι. Et sic plerique de *Intellectu* dici volunt.

Mihi felicior videtur eorum conjectura qui hîc potius *Affectum* designari volunt. Ut Sensus sit, non *Recipit*, non *Amplectitur*, Adversatur, respuit, explodit, irridet. Sic apud *Joannem* idem est *Christum lucem* non *recipere*, Cap. I. 11. quod postea, *Tenebras magis deligere*, Cap. III. 19. rectè monuit vir

Prælect. in Mat. 20. 3.

vir doctissimus Joannes Camero, doctrinam in sacris literis passim vocari *Traditionem*; quæ autem traduntur. Recipi tum demum dicuntur ab iis quibus Tradita sunt, quando obsequium præstant: unde in Novo Testamento inquit δέχεσθαι λόγον est קבל. auscultare, obedire, exhibere ὑπακοὴν πίστεως. unde frequentissime vox illa δέχεσθαι, si loca singula accuratiùs exploremus, *Affectum* & amorem in Novo Testamento innuit. Et hoc Sensu maximè cohærent inter se verba Apostoli. *Respuit* Animalis Homo Evangelium & Reprobat, quia ipsi *Stultum* videtur. *Stultum* autem judicat, quia non potest *intelligere*: ideo denique non *intelligit*, quia spirituali luce & facultate destituitur, magísque reconditum & sublime sit pietatis mysterium quàm ut humanâ mente apprehendatur. Itaque οὐ δέχεται notat hic *Affectus* & voluntatis *contumaciam* spiritualia aversantis, οὐ δύναται γνῶναι, *mentis Impotentiam* in iisdem protinus cæcutientis. Πιστὸς inquit Apostolus, λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, de summâ Evangelii loquens, 1 *Tim.* I. 15. πιστὸς, adeoque *mente Credendus*; ἄξιος, adeoque *Affectu Recipiendus*, quorum utrumque hîc loci ψυχικῷ nostro denegatur.

Quærendum Quartò, quid sit μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι. Notatur per αὔξησιν istorum hominum *fastus*, summúsque apud ipsos Evangelii contemptus. Non tantùm non approbant, sed & explodunt, & cum irrisione rejiciunt: ut hominem scelestissimum *Scelus* vocamus: ita quæ protinus insipida & absurda videntur istis *divinitatis censoribus*, uti loquitur Tertullianus, *qui consultiores sibimet videntur*

Contra Marcion. lib. 2. c. 2.

dentur

dentur Deo, nor ut Stulta tantùm & inepta, ſed ut *ipſammet Stultitiam* reſpuunt. Sic populum rebellem quò graviùs pungat Propheta, *Rebellionem* vocat, *Ezek.* XLIV. 6. Cumque hi ſoli ἐμωράνθησαν uti loquitur Apoſtolus, tamen ut ſolet plerùmque malè affectus oculus ſuo ipſius colore objecta omnia perfundere, τὸ ἐκείνων πάθος καὶ νόσημα τοῦ πνεύματος νόμοις διαιτήσουσιν, uti apud Oecumenium loquitur Photius.

Quærendum Quintò, Quid ſit οὐ δύναται γνῶναι. Nempe non eſt tantùm *deſidia* & negligentiæ culpa, quaſi poſſet intelligere myſteria iſta, modò vires Rationis exereret: nec tantùm damnatur *contumacia* voluntatis Evangelium averſantis, ſed φυσικὴ ἀδυναμία, ſumma inſuper *Impotentia* ad percipiendam cœleſtem doctrinam. Summa ſanè undique *Impotentia.* In *Mente*, οὐ δύναται γνῶναι. In *Voluntate*, οὐ δύναται ὑποτάσσεσθαι, *Rom.* VIII. 7. In *Fide*, οὐ δύναται λαβεῖν, *Joan.* XIV. 17. In *Fructu*, οὐ δύναται καρπὸν φέρειν, *Joan.* XV. 4. In *Cultu*, οὐ δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν, 1 *Cor.* XII. 3. In *Praxi*, οὐ δύναται Θεῷ ἀρέσαι, *Rom.* VIII. 8.

Quærendum Ultimò, Quid ſit πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Eſt *verbum forenſe*, ut obſervant Budæus & Grotius, & ſignificat accuratâ & quaſi* duplici diligentiâ inquirere an rectè quid, an ſecus fiat. Ἐξετάζειν τὸ πραχθὲν εἰ καλῶς ἢ κακῶς ἐπράχθη: explicante Phavorino. Transfertur hic ad examen doctrinæ. δύναμιν autem διακριτικὴν oſtendit non procedere ab inſitâ Rationis vi & perſpicatiâ, ſed à Spiritûs ſancti afflatu, πίστεως δεῖται τὰ λεγόμενα, καὶ λογισμοῖς αὐτὰ καταλαβεῖν οὐκ ἔνι inquit Chryſoſtomus: ut

* Ἡ Ἀνά πρόθεσις δεύτερωμά τι δηλοῖ ὡς ὂν τὸ Ἀναβαπτίζειν φαίνεται, καὶ ἀνακρίνειν. Euſtath. in Iliad. α.

ut enim qui Legem condit optimus est istius Legis interpres: ita Spiritus Dei, *à* quo procedit Evangelii doctrina, nobis eam dijudicandi, indagandi, discutiendi facultatem ingenerat.

Tria interim h*i*c observanda, ne subsit errandi occasio. Nempe 1. notari h*i*c *Judicium* non *publicum*, *Ecclesiasticum*, *ministeriale*, quasi quilibet Dei grati*à* imbutus, eo ipso statim aptus sit & idoneus, qui muneris Ecclesiastici, & prædicandi Evangelii tremendum onus in se recipiat: sed *Judicium discretionis* & *approbationis*, quale erat illud Beroensium, qui *receperunt sermonem cum omni alacritate, quotidiè examinantes Scripturas an hæc ita se haberent*, Act. XVII. 11. quod Franciscus Junius alicubi vocat *Gustum spiritualis judicii*, quo quis sanam ac cœlestem doctrinam *à* fermento & insipidis ineptiis discernit, & solius *Christi vocem audit*, & agnoscit, *Joan.* 10. 3, 4.

2. Jucundum hoc non esse *Absolutum*, & omnibus numeris perfectum, sed κατὰ μέτρον τῆς δωρεᾶς, & in quantum quis Spiritu sancto afficiatur; quandoque enim etiam vir pius *non sapit quæ sunt Dei, sed quæ Hominis*, Matth. XVI. 23.

3. Spiritum sanctum esse quidem istius Judicii *causam principalem*, non tamen sine verbo Dei, ut efficaciæ suæ *instrumento*, quo voluntatis contumaciam deprimit, & intellect*ûs* assensum producit. Quæ enim Spiritui sancto tribuuntur, eadem passim & divinis eloquiis adscribi legimus. *Psal.* XIX. 7, 8, 9. *Joan.* XVII. 17. *Rom.* X. 8, 17. *Act.* XX. 32. 2 *Cor.* X. 4. 5. 2 *Tim.* III. 15.

Huc*u*sque

Hucusq; Scopum, Analysin, & sensum verborum proposuimus; Jam sex in se continent gravissima Theologiæ *porismata*, digna sane quæ si nobis Tempus suppeteret, singula fusius explicanda susciperemus: mihi satis erit ea tantum quasi digito monstrasse, ut ad id quod præcipue propositum habui festinantius accedam. Forsan sub uno isto capite horum plurima sese nobis de novo expedienda offerent.

Primum, Posse hominem miro ingenii acumine, & exquisita, omnibusque numeris absoluta Sapientiæ, Doctrinæ, Artium, Scientiarumque peritia præpollere, atq; interim *à* vita Dei rebusque ad Cœlestem gratiam pertinentibus alienum protinus esse. Nicodemus erat ὁ διδάσκαλος, *insignis in Israele Doctor*, & tamen spiritualis ac cœlestis Regenerationis protinus se inscium exhibuit, *Joan.* III. 9, 10.

Secundum, Hominibus non tantum Concupiscentiæ & Lubidini mancipatis, sed & iis, qui seriam & sollicitam indies Sapientiæ studiis operam impendunt, dum *solâ rationis Luce* ducuntur summam inesse adversus pietatis mysteria cordis & *affectuum contumaciam*: cum ipsum φρόνημα σαρκὸς, *Inimicitia sit adversus Deum*, Rom. VIII. 7.

Tertium, Duplicem esse de Deò rebusqne Divinis cognitionem: unam *nativâ Luce* acquisibilem, quando quæ sciuntur cum innatæ Rationis principiis, animæq; testimonio concordant. *Rom*. I. 19. alteram *sola Revelatione* & spirituali gratia ingenitam, utpote omnem Rationalis disquisitionis vim superantem. Illa est cognitio respiciens τὸ τοῦ

Θεῷ, hæc τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. Illa notitia *Naturalis*, hæc *familiaris*, ut rectè distinguit Tertullianus.

Lib. de Spectac. cap. 2.

Quartum, cum doctissimorum hominum animalis naturalitèr inesse *fastum*, ut non tantùm in surgant contrà, & mysteria Christi superbè respuant, sed sannis insuper et irrisione excipiant tanquam rem vanam ipsâque etiam Stultitiâ stultitiorem. Τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν, iniquiunt *illa gloriæ animalia*, *Act.* XVII. 18. Viluit superbis vel ipse Deus Magister, ut parùm sit miseris quòd ægrotant, nisi se in ipsa ægritudine etiam extollant, et de Medicina qua sanari poterant erubescant. Ita puduit doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, inquit *Augustinus*.

De Civ Dei, lib. 10 cap. 29.

Quintum, Summam esse in unoquoque homine naturali non tantùm mysteriorum Evangelii *Ignorantiam*, sed et ἀκαταληψίαν et συστικὴν ἀδυναμίαν ad rerum spiritualium perceptionem. Proinde fidem in nullius arbitrio positam esse, sed divinitùs a Spiritu gratiæ καθὼς βούλεται distributam. *Lux*, inquit Apostolus, *in tenebris lucet: sed tenebræ eam non comprehenderunt*, Joan. I. 5. *Non idonei sumus per nos ipsos ad cogitandū quicquam, velut ex nobis ipsis*, 2 Cor. III. 5. sed protinùs *pauperes, cæci, nudi*, Apoc. III. 17.

Sextum, δύναμιν διακριτικὴν, quâ fideles ritè in rebus Dei sapiunt mentémque Christi et pietatis suavitatem quasi gustu percipiunt, esse *supernaturale donum* Spiritûs sancti, non tantùm *objectum* ipsum in Evangelio *patefacientis*, sed et *mentem* suo afflatu ac lumine *perlustrantis*, et animam instar ceræ quasi *in doctrinæ typum tradentis*, quo ad cœlestis Sculpturæ imaginem figuretur; *quò* respicere videtur Propheta,

pheta, *Dabo* inquit *Legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribã eam*, Jer. XXXI. 33. Et Apostolus, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, *Rom.* VI. 17.

Restat jam ut præcipuum & sane unicum hujus loci scopum plenius explicandum suscipiam, dum eâ quã fas est, brevitate *Quæstionem* hanc expediam, [Quousq; ψυχικὸς ἄνθρωπος *Res divinas cognoscere possit vel circa eas cæcutiat.*]

Circa quam Statuendum *Primò* esse in omni Homine naturalitèr συντήρησιν, συνείδησιν & κοινὰς ἐννοίας, per quas de Deo, de Peccato, de Judicio, de Præmiis & Pœnis aliquam quamvis perobscuram ferre sententiam possint, quod de Gentibus, *quæ sine Lege sunt*, docuit Apostolus, *Rom.* II. 14, 15.

Secundò, Res de Deo cognoscibiles esse in duplici genere: quædam enim *naturales* tantum sunt et *morales*; aliæ *supernaturales* et *evangelicæ*, quarum nulla sunt humanis conscientiis indita semina, sed speciali auxilio imprimuntur: *fiunt* enim, *non nascuntur Christiani*, uti loquitur Tertullianus.

Quibus positis, discimus *Primò*, Dari aliquam Dei Rerumque divinarum *naturalem Cognitionem*, Lumine Rationis, Conscientiæ testimonio, omnium denique gentium Consensu et Suffragio comprobatam; τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ vacat Apostolus, *Rom.* I. 19. Neque enim ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, *Act.* XIV. 17. quin et *palpando inveniri potest*, Act. XVII. 27.

Sive enim consideremus *primò* rerum omnium *origines*, necesse est (cum sibimetipsis causam essendi præbere non potuerint) ut tandem ad causam aliquam primam, absolutam, omnipotentem assurgat intel-

intellectus, quæ rebus singulis materiam, formam, finem essendi & operandi dederit. *Psal.* C. 3. Sive 2. Rerum inter se *ordinem* & *consensum*, quæ indivulso nexu sibi mutuo cohærent, optimeque sibi invicem subserviunt, & attemperantur, de quo Spiritus sanctus passim, *Psal.* CIV. 147, 148. Sive 3. Impressa rebus irrationalibus *Rationis vestigia*, ut formicis, apibus, avibus alvearia & nidulos suos miro artificio conficientibus, taliaque agentibus, quæ, cum rebus ipsis nulla dijudicandi vis insit, *supremi moderatoris* Sapientiam, cujus ductu & imperio rerum omnium ὁρμαὶ diriguntur, manifeste ostendunt: docente Spiritu sancto, *Job.* XXXIX. *Prov.* XXX. 24, 28. Sive 4. Rerum naturalium *fœdera*, & quasi ex compacto constitutas inter se operandi leges, dum, ut in commune consulant, suo quælibet quasi Jure nativo cedunt. Cum enim in rerum creatarum compage Aquis post Aërem proximæ debeantur vices, patiuntur tamen sibi fræna injici, & terminos præfigi, ne Terra, hominibus destinata sedes, submersa jaceret, & domino suo recipiendo redderetur inidonea: de quo loqui videtur Apostolus, quando dicit, *Terram Dei verbo ex aquâ & in aquâ consistere*, 2 Pet. III. 5. Sive 5. Mirabilem *corporis humani structuram* & compagem, nullo parentum artificio, conatu, aut industria formatam, & tamen singulari ratione Animæ motibus & imperio attemperatam, & quasi *acu & arte Phrygionicâ contextam*, uti loquitur Psalmista, *Psal.* CXXXIX. 14-16. Sive 6. ipsius Animæ *recessus* & *motus*, impressa ibi Religionis semina, inditum Numinis timorem, conscientiæ etiam ab occultis sceleribus verbera & cruciatus:

ciatus: de quibus Apostolus, *Rom.* II. 14. Sive, denique, mirabiles *providentiæ eventus* recolamus, quando ex malis sæpe bona, ex contrariis contraria prodeunt, quibus scelerum artifices in sua ipsorum capita consilia nectunt, ut passim videre est, *Gen.* L. 20. *Isai.* X. 6, 7. *Act.* IV. 28. *Job.* V. 12, 13. Ex istis singulis, ne alia infinita congeram, manifestum est insita esse & impressa rebus omnibus Dei vestigia, quæ mentibus humanis non possunt sese non naturali luce objicere.

Et quamvis pauci extiterint ut *Protagoras Diagoras*, & alii qui *Athei* dicti sunt, & Deum nullum agnoscerent: illud tamen aut propter deorum Gentilium futilitatem, aut studio novitatis, aut pravo ingenio & mente sceleribus occæcatâ, adeóq; *voto* potius quam *judicio* adserebant. Nempe illorum maximè interfuit ne quis Deus esse qui mundum judicaret: iis etiam subinde novo impetu recurrit, quæ prius evanuisse videbatur, Lux insita, & quamvis divinitatis sensum malitia suffocârint, illum tamen subinde resuscitant acriores conscientiæ morsus, & scelerum cæca atque occulta verbera.

Dicimus *Secundò*, Dari *naturalem* rerum *moralium* cognitionem, & inditas esse humanis mentibus communes Justitiæ, Temperantiæ, & Probitatis notiones quibus & dirigi debeat, & argui conscientia. Quemddmodum enim *affectibus Sensitivis* suæ competunt στοργαὶ φυσικαὶ: & *facultati Intellectuali* πρῶτα ἀξιώματα, quorum lumine ad indagandum veritatem adjuvatur: ita *Conscientiis* hominum quasi innatæ sunt κοιναὶ ἔννοιαι, seu *Rationis moralis & practicæ principia*, quibus et erga nosmetipsos, et erga proximos,

ximos, et humanam societatem ritè secundùm Sobrietatis et Justitiæ normam instituamur. Unde de Gentibus, quæ Legem non habuerunt, dicit Apostolus, quòd *naturâ, quæ Legis sunt faciunt, &, sibi-ipsis lex sunt, ostendántque opus Legis scriptum in cordibus suis*, Rom. II. 14, 15. 1 Cor. XI. 13, 14. Jude. v. 10. Malâ autem fide, et Jesuiticâ, *Calvinum* ex hac parte insimulat *Bellarminus*, quasi istam in nobis cognitionem prorsus extinctam assereret: qui de Bono morali tantùm in ordine ad divinum cultum et salutem consequendam sermonem instituit, nec alio respectu legis naturalis vim labefactare voluit.

De Grat & lib. Arbit. l. 5. c. 3.

Institut. lib. 2. cap. 2, Sect. 21.

Dicimus *Tertiò*, Ista Rerum moralium residua in animis hominum Principia, quamvis Gratiæ Generalis auxilio aliquid conferant ad humanæ Societatis ordinem conservandum, vitámque *Ethicè* quoad famam bonúmque *Civile* transigendam: esse tamen manca protinus et inutilia aut ad *spiritualis* obsequii fructus, aut ad *cœlestis* vitæ mercedem. Est hæc conclusio adversus eos qui ad salutem sufficere volunt etiam Ethnicis eam Dei cognitionem, quæ naturaliter haberi potest, nec aut supernaturalem fidem, aut notitiam Christi media esse necessaria ad vitam æternam consequendam. Huic sententiæ (nisi malè memini) favere videtur *Erasmus* in Procœmio ad Quæstiones Tusculanas Ciceronis, eámq; incrustavit *Claudius Seysellinus* in Tractatu de Divinâ Providentiâ; cujus sententam explicat & refellit *Franciscus Collius* in Opere suo de Animabus Paganorum. Qui, quamvis Paganos probaverit nihil habere roboris ad salutem consequendam, nec se præparare posse ad gratiam Justificationis, aut ad

V*ide* Hieron. *adversus* Jovinianum, *lib.* 2.

Lib. 1 cap. 11. & 20,

ad vitam æternam: quum tamen ſuavitati providentiæ divinæ, & liberalitati convenientiſſimum judicet, ut iis qui pro virili præcepta naturalia cuſtodiunt, ulteriora fidei & gratiæ media ad ſalutem conſequendam conferantur, tandem per integrum Librum ſecundum neſcio quas rationes excogitat, quibus Deus ſaluti Paganorum conſulere voluit, per apparitiones Chriſti in ſpecie Pueri, *Senis*, Leproſi, per miniſteria & ſpecies Angelorum, B. Virginis, mortuorum *è* Gehennâ reſurgentium; quæ, cum in ſacris literis fundamentum nullum habeant, ſed planè iis contradicant, tutius eſt & moderatione Chriſtianâ dignius, vias & judicia Dei imperſcrutabilia adorare, quàm futilibus figmentis ad miſericordiam ampliandam viam præmunire.

Huic Errori pernicioſo occaſionem præbuerunt laxiora quædam & ſatis incommoda dicta *Juſtini*, *Clementis*, *Alexandrini*, *Origenis*: qui licet Gentilibus Patriam cœleſtem abſque fide negatam voluit, neſcio quam tamen operibus ipſorum bonis mercedem debitam comminiſcitur; denique *Chryſoſtomi*, (ſi fides habenda *Sixto Senenſi* in Bibliotheca Theologica) Qui fidem unius Dei & occulti miſericordiæ atque providentiæ ordinis, abſque ſpeciali notitiâ mediatoris ſatis fuiſſe gentibus aſſerit ad ſalutem conſequendam. * Quam ſententiam fuſiùs perſequitur *Andradius* Luſitanus, & *Andreas Vega*; eámque defendere videtur Jeſuita *Maldonatus*: ſed eam ad omnibus ut erroneam rejici dicit *Gregorius de Valentia*.

Juſtin. *Apol.* 2. *pag.* 83. *edit.* *Pariſ.* 1615. Clem. Alex. *Strom l.* 1. *&* 6. Origen *in Rom.* 2. Sixt. Senenſ. *Bibl oth.* l 6. *Annotat.* 51.

* Angrad. *Orthodox. explicat.* *lib.* 3. Vega *de Juſtif. li.* 6. *c.* 18, 19. Maldonat. *in Joan.* 5. 6.

Greg. de Val *To.* 3. *Diſp.* 1. *Quæſt.* *punct.* 2 *&* 4. *conſulendi Montacutius noster.* Exercit. *Eccleſ.* 1. *Sect.* 1, 2, 3, 4. *Apparat.* 1. ad Origines, *Sect.* 49-90. Bannes *in* 2am 2æ qu. 2. *art.* 8. Eſpencæ *in* 2 *Tim.* 3 *digreſ.* 17. Lorin. *in Act.* 2. 38. *&* 4. 12. *&* 10. 2. Baldwin. *Caſ. Conſc.* l. 2. Navar *Manual. cap.* 8. *Sect.* 22.

Theſis

Thesis ista probatur *primò*, quia principia hæc moralia sunt pravis concupiscentiis usque eo obruta, ut sufficere nequeant ad conscientias *à* peccati dilectione expurgandas, cum qui maxima Dei notitia apud philosophos pollerent, *veritatem in iniquitate detinuerint*, uti docet Apostolus, *Rom.* I. 18. Id variis exemplis confirmat **Tertullianus* Philosophos Atheismi, Læsæ Majestatis, Impudicitiæ, Adulterii, Tyrannidis, Perfidiæ, Adulationis, aliorum criminum eleganter incusans: nec diffitentur * Scriptores Ethnici, *Athenæus*, *Plutarchus*, *Diogenes Laërtius*, qui Philosophos fuisse impuros puerorum corruptores tradunt.

* *Tertul. Apol. cap.* 46. & Athenag. Legat.

* Athenæus lib. 4. & 14. *Plutarch.* Περὶ παίδων ἀγωγῆς *Diog. Laert.* in vita *Arcesilai.* Inter Socraticos notissima fossa cinædos. *Juven.*

2. Nec ad Deum rite colendum, nec ad Dei Justitiam fide amplexandam, nec ad tentationes & insidias hostium evitandas, nec ad spirituales nequitias superandas, absque Evangelii præsidio, & fidei fundamento assurgere potest mens humana, quamvis eximiis naturæ dotibus alioquin ornatissima, *Joan.* XV. 4. 2 *Cor.* III. 5.

Cum Deus sit *Spiritus*, & Pater *Cœlestis*, Joan. IV. 24. Matth. 7. 21 nulla ipsi nisi *spiritualia* obsequia & conversio *cœlestis* placere possunt, 1 *Pet.* III. 4. *Phil.* III. 20. Spiritu itaque ejusque auxilio opus est, quo tanquam suffitu officia nostra reddantur in Christo grata, quo tanquam vinculo salutis nostræ Authori firmiter uniamur. Jam vero *spiritualia* sunt in superiore gradu & ordine; nec naturæ debita, nec rationi indita, nec omnibus concredita, sed voluntaria dispensatione *à* Christo Capite in Membra selecta, prout ipsi placuerit, per verbum effusa.

Quamvis itaque possit aliquis absque verbo

duce,

duce, & fidei charitate opera quædam facere quoad *materiam* & externam *operis substantiã*, quoad *speciē* etiam, *famam*, & humanam societatem *Ethicè bona*; tamen quoad *operandi principia*, modum, finem, formam, ut sint obsequia *Deo grata* ad vitam æternam, fieri non potest ut moralium principiorum viribus sine luce Evangelii & gratiâ Christi opus aliquod verè & spiritualiter bonnm inchoetur aut perficiatur. Infinita ferè sunt Scripturæ Sanctæ testimonia quibus veritas ista confirmatur; nempe in *solo Christo* Justitiam, Salutem, vires nostras omnes fundari, *sola fide* posse nos per dilectionem operari, & Deo placere. *Joan.* XV. 3, 4. *Act.* IV. 12. *Eph.* II. 10. & IV. 20, 21. *Phil.* IV. 13. *Eph.* VI. 10. 1 *Pet.* II. 5. *Act.* XV. 9. *Gal.* 5. 6. *Heb.* XI, 6. ut frustra sit istis diutius immorari. Deum quidem norunt Ethnici, sed jure *naturali* non etiam *familiari*, de *longinquo* non de *proximo*, uti distinguit Tertullianus. *Quia Christi non habet condimentũ, vanus est eorũ labor, & peritura ædificatio*, inquit Hieronimus: & iterum, *Non statim qui jejunat, Deo jejunat, nec extendens pauperi manum Deo fœnerat.* Πίστις enim est *δικαιοπραγίας θεμέλιος*, uti loquitur Clemens Alexandrinus. Materiam hanc fusè tractarunt, qui causam Dei contra Pelagium, ejúsque reliquias egerunt, * Augustinus, Prosper, Fulgentius, alii, ut Bradwardinum, Gregorium Ariminensem, & reliquos è sanioribus Scholasticis taceam.

Hieron. *in Eze.* 13. *& contra Luciferianos.*

Clem. Alex. *Strom lib* 5.

* *Aug. Retract. lib.* 1 *cap.* 3. *Ep.* 105, 107, 120. *Lib. de spirit. & liter. passim Lib. de Fide & Operib. c.* 16. *ad Simplician. lib.* 1. *qu.* 2. *de Civ. Dei. lib.* 5. *cap.* 19 *lib.* 19. *cap.* 25. *de nupt. & concupisc. l.* 1. *c.* 3. *contra Julian. lib.* 4. *c.* 3. *Prosper contr. collat. cap. & lib. de vocat. Gent.* (*si ejus sit*) *lib.* 1. *cap.* 7. *Fulgentius de Incar. & gratia Christi, cap.* 20, 25, 26, 27, *Leo. Serm* 4. *de nat. Christi. Greg. Ariminens.* 2. *dist.* 1. *qu.* 3. *art.* 2. *& dist.* 26. *qu.* 1. *art.* 3.

Dicimus *Quartò*, Rerum supernaturalium & my-

ſterii Evangelici non eſſe cognitionem aliquam naturalem, aut naturæ viribus acquiſibilem, ſed ad eam neceſſariò prærequiri, 1. ex parte *Objecti*, divinam *Revelationẽ* in Scripturis factam, & Traditione ſive miniſterio Eccleſiæ nobis ad credendum propoſitam: 2 Ex parte *Subjecti*, *apertionem* intellectûs, obſequium & *piam affectionem* voluntatis; denique induſtriam & uſum rectæ Rationis, ſed adſpiratione & illuminatione Spiritûs â nativâ cæcitate, & carnali inimicitiâ liberatæ priùs & ſanatæ.

Et quantum ad priorem partem iſtius concluſionis ſummus eſt inter omnes conſenſus, nempe requiri *patefactionem Divinam* ex parte *Objecti*, cum per ſe Naturæ ordinem excedat, nec ſit aliqua Evangelii Ratio ſeminalis intra ambitum Intellectualis virtutis. *Nemo*, inquit Chriſtus, *novit Filium niſi Pater, nec Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cuicunq; voluerit Filius, retegere*, Matth. XI. 27. *Caro & ſanguis iſta non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis*, *Matth*. XVI. 17. Nec Humanum ſolùm, ſed etiam *Angelicum* intellectum ſuperat grande hoc ſalutis Arcanum, nec niſi per *Eccleſiam*, ſive per diſpenſationem Evangelii Eccleſiæ factam, poteſtatibus hiſce, quæ in cœlo ſunt notum fit, uti docet Apoſtolus, *Eph*. III. 10. Semper itaque ſub *Abſonditi Myſterii* titulo proponitur, ut inde manifeſtum ſit omnem Intellectualis Judicii aciem excedere, niſi cœlitùs fuerit patefactum. Μυϛήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον, Rom. XVI. 25. Σοφίαν Θεοῦ ἐν μυϛηρίῳ ἀποκεκρυμμένην, 1 *Cor*. II. 7. Μυϛήριον ἀποκεκρυμμένον ἐν τῷ Θεῷ Eph. III. 9. Col. 1. 26. Μέγα μυϛήριον, 1 Tim. III. 16. *Myſterium* autem eſt ἀπόρρητον καὶ θαυμαϛὸν, καὶ ἀ-

Vide Greg. Nyſſen. in Cantica, Hom. 1. & Chryſoſt. Hom. 7. in 1 Cor.

γνοϐμενον uti loquitur Chrysost. *Mysterium* itaq; cum sit doctrina Evangelii, proinde occulta, arcana, & naturali luce inaccessa. Et huc alludere manifestum est magnum illud *Arcæ Fœderis* & *Sancti Sanctorum* secretum, quod soli Pontifici, idque semel tantùm quotannis patebat. Neque unquam illis impunè fuit, qui magnum illud Gentis *Arcanum*, curioso oculo ausi sint penetrare, aut Sacrilegiâ manu diripere. Quod sicut de *Bethsemitis* narrant sacræ Literæ, 1 *Sam*. VI. 19. ita & de aliis, ut de pompeio, & Crasso observare licet; qui postquam Templum Heirosolymitanum violassent, infelici protinus exitu perierunt. Quin & *Angeli* in Arcam Fœderis obtutu mirabundo oculos figebant, & grande illud misericordiæ Arcanum adorabant, *Exod*. XXXVII. 7,8,9. quò alludere videtur Apostolus Petrus, 1 *Pet*. I. 12. Εἰς ἅ, inquit, ἐπιθυμοῦσιν οἱ Ἄγγελοι παρακύψαι, ut solent qui lætum aliquod aut grande spectaculum, protenso per fenestram collo, intuentur. Christo autem crucifixo, perruptum erat velum, ut jam *retectâ facie* altum illud salutis mysterium & gloriam Domini *quasi in speculo* intueamur.

Vide Florum, lib. 3. cap. 5. Tacit. Hist. l. 5. Joseph. de bello Iudaico. l. 1. c. 5. et Antiq l. 14 c. 14. Aug. de civ. Dei, l. 18 c. 45.

Quantum autem ad alteram Assertionis partem, quæ ex parte *subjecti* Illuminationem & *gratiam Spiritûs* requirit, quâ naturalis cæcitatis & pravitatis velamen auferatur, *adversarios* habemus, tum *antiquos*, *Pelagium* ejúsque reliquias, ut videre est apud (a) *Augustinum*, *Prosperum*, *Concilium*, *Aransicanũ*, *Joannem Gerandum Vossium*, & *Joannem Latium*: tum

(a) Aug. Epist. 107. Prof. contra Collator. c. 12. et 23. Conc. Arausic. can. 5,6,7. Vossius Hist. Pelag. lib. 3. part. 2. Thes. 1. 3. Latius l. 2. de, Semipelag. cap. 2. thes. 1. et cap. 5.

etiam *novos*, Socinianæ, videlicet, farinæ doctores; qui solo *Rectæ Rationis usu* & vi liberi arbitrii, absq; speciali Gratiâ facultatem sanante, omnia Evangelii mysteria intelligi, cognosci, credi posse affirmant. *Sine Revelatione*, inquit(b) *Valentinus Smalcius*, *Homo nec perfectè voluntatem Dei scire potest, nec auxilium ad eam præstandam habere, quod utrumque præstat Revelatio.*

(b) Val. *Smalcius contra Frantzium, disput poster* 8. *Volkel de vera Relig. l.* 5. *c.* 18.

Ut autem rei veritas magis perspicua fiat, notandum, cum(*c*) Philosopho *duplicem* esse *demonstrationem*, δεικτικὴν καὶ στερητικὴν, *Apodicticam*, & *Negativam*, sive ducentem ad impossibile. Posterior hæc in præsenti negotio est illa, quæ falsas Religiones destruit; & hujusmodi demonstratio sufficienter ex vi *rectæ Rationis*, & ex principiis naturalibus formari potest. Neque enim inter Idololatras & Gentilium Superstitionibus deditos defuerunt viri sagaciores, qui Idolorum & Polytheismi vanitatem perspectam habuerunt. (*d*) Id quod passim probant *Justinus Martyr*, *Clemens Alexādrinus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Theodoretus*, *Cyrillus*, *Augustinus*, *Lactantius*, *Eusebius*, alii. Altera est *Demonstratio Ostensiva*, quâ Res spirituales, pietatis nempe, atque salutis mysteria, ita planè & potenter patefiunt, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, uti loquitur Apostolus, 1 Cor. II. 4. ut omnes prorsus λογισμοὶ, πᾶν ὕψωμα, πᾶν νόημα dejiciantur, nihilque supersit, quod adversus mysteria Christi, & quod ipsi debetur obsequium, regerere possit sapientia Carnis.

(c) *Arist. priorum Analyt. l.* 2. *c.* 14. & *poster. Analyt. l.* 1. *c.* 22, 23.

(d) *Just. Mart.* ἐν λόγῳ παραινετικῷ, & *pol.* 2. *Clem. Alex. in Protreptic. Tertul Apol. cap.* 12, 17, 46. *Cypr de vanitate Idolor. Theodoret. de curand. Græc. affectib. ser.* 2. & 3. *Cyril. contra Julian. l.* 1. *Aug. de Civ. Dei l.* 4. *c.* 31. *Lactant. l.* 3. *c.* 3 *Euseb. de præpar. Evang. lib.* 13. *c.* 13. & *lib* 14. *c.* 16. *Joseph. contra Appion, lib.* 2.

Agnoscimus quidem ex Scripturis jam revelatis plurimam de rebus sacris notitiam haurire posse etiam impios & hypocritas. Sensum quippe *Grammatica-*

maticalem, & ex datis principiis dogmatum *conseqētias*, Linguarum *idiotiſmos*, & ex Gentium moribus natas loquendi formulas, atque hujus generis alia ſatis percipere atque indagare poteſt nativum Rationis lumen, bonis literis & induſtriâ adjutum: quin & quandam Evangelii *vim*, *donum cœleſte*, *verbi divini guſtū*, *& futuri ſeculi virtutes*, hujuſmſmodi hominibus notas fieri docent Apoſtoli, *Heb.* VI. 4, 5. 2 *Pet.* II. 21.

At non pertingit omnis iſta notitia ad gradum illum quem Chriſtus ἔλεγχον, Apoſtolus φανέρωσιν πνεύματος καὶ ἀληθείας vocarunt, *Joh.* XVI. 8. 2 *Cor.* IV. 2. Id ut manifeſtum fiat, notandum eſt (quod etiam apud omnes pro confeſſo habetur) myſteria Evangelii in *eum finem* patefacta fuiſſe, ut nos totos Chriſto in obſequium ſubjicerent, adeóque notitiam tum demum Rectam eſſe, & objecto ſuo proportionatam, cùm conſcientiam purificet, voluntatem in obedientiam flectat, integrum hominem mente & ſpiritu reddat Criſto conformem, taléſque in nobis de Deo, de peccato, rebúſque æternis conceptus ingeneret, quales in mente Chriſti vigebant, ut eadem cum illo dicamus, ſentiamus, judicemus, 1 *Cor.* II. 16. Cùm itaque certum ſit Appetitum Rationalem ſequi ultimum dictamen, & *ſpirituale lumen* Judicii practici, niſi eò pertingat cognitio noſtra ut pietatem ingeneret, manifeſtum erit lucem Evangelii ſpiritualem, ſalvificam, plenam nondum ſeſe mentibus noſtris patefeciſſe.

Verbo ut expediam, duplex eſt rerum ſpiritualium notitia: *Intellectualis* una, cui ſedes in *mente*; *practica*, & experimentalis altera, cui ſedes in *corde*, de

de quâ Apoſtolus, *ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis* (eſt ſcilicet cognitio ſanctis peculiaris) *quæ ſit illa longitudo, latitudo, profunditas, & ſublimitas*, & *noſſe charitatem illam Chriſti omni notitiâ ſupereminentiorem*, Eph. III. 18, 19. et alibi ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Vocat. *Omnia*, inquit, *damnum eſſe duco, propter eminentiam notitiæ Chriſti Jeſu Domini mei*, &c. *Phil.* III. 8, 9, 10. quâ nempe vim Reſurrectionis & communionem perpeſſionum ita apprehendimus, ut morti ejus conformes reddamur. *Quis ſapiens*, inquit Jacobus, *& ſcientiâ præditus? demonſtret ex bona converſatione opera ſua*, Jacob. III. 13. *Per hoc ſcimus*, inquit Joannes, *nos eum noſſe; ſi mandata ejus obſervamus: Qui dicit novi eum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt*, 1 Joan. 2, 3, 4.

Quamvis enim ſenſus verborum, & conſequentiarum inter ſe connexio manifeſta ſit judicio *intellectuali*, non tamen demonſtrativè & plenè præſentatur Evangelica veritas judicio *practico* ſub ratione *ſummæ bonitatis*, & cœleſtis dulcedinis, tanquam *imperveſtigabiles divitiæ*, Bonum *omni acceptatione digniſſimũ, pretioſũ, totum deſiderabile*, cujus comparatione, quicquid uſpiam appeti ſolet ſit *ſtercus & damnum*, niſi voluntatem & conſcientiam ſuavi impulſu trahat ad obediendum Chriſto. Sicut itaque multùm intereſt inter orbis terrarum notitiam, è tabulis tantùm Geographicis edoctam, & aliam illam quæ αὐτοψία, longo rerum uſu, & diligenti luſtratione ac peragratione itinerum comparatur: ita non minùs eſt diſcriminis, inter levem & evanidam illam rerum ſupernaturalium notitiam, quæ ſolo Rationis *diſcurſu* acquiritur, & aliam quæ *guſtu* cordis

Eph. 3. 8.
1 Tim. 1. 15.
1 Pet. 2. 7.
Phil. 3. 8.

cordis percipitur, quæ *tabulis carneis* inſcribitur, quæ auſpice & ductore ſpiritu animis illabitur, quæ denique mirâ & ineffabili ſuavitate interiorem hominem perfundit: *Quod enim in cibis guſtus, in ſacris intellectus*, uti loquitur magnus *Baſilius*: unde qui Deum *Noviſſe* dicuntur, *Rom.* I. 21. negantur tamen ipſum in *notitiâ habuiſſe*, verſ. 28. Quamvis enim lux aliqua maneret in *mente*, in *corde* tamen errabant ἀγνοοῦντες καὶ πλανώμενοι, *Heb.* III. 10. & V. 2. unde peccata vocantur ἀγνοήματα, *Heb.* IX. 7. Præclarum eſt iſtud Ariſtotelis; Ὁποῖός ποθ' ἕκαστος ἐστι τοιοῦτο καὶ τὸ τέλος φαίνεται αὐτῷ. Qualis quiſq; eſt ſecundum animi ſui habitum, talis ipſi *finis* apparet. Quibus itaq; corruptus eſt animi habitus, & in vitia præceps, fieri non poteſt ut ipſis donum aliquod ſupernaturale appareat ſub conceptu *finis ultimi*, & ſummè eligibilis. Poſito enim *fine*, *media* eliguntur, & *deliberatio* de iis habetur. Naturaliter quippe quiſq; in ſuum finem fertur, eſt enim ſimpliciter appetibilis. Conſultatio autem & electio ea ſpectant quæ ſunt ad finem. Cùm itaque Impii media ad finem ſupernaturalem non eligant, manifeſtum eſt nec ipſum bonum ſupernaturale ſub ratione ſummi boni & finis ſimpliciter appetibilis ab ipſis concipi. Ethic. Lib. 3. cap. 7

Ex quibus ita explicatis manifeſtè ſequitur, Ad perfectam & propriam rerum ſupernaturalium cognitionem, non ſufficere ex parte *objecti Revelationem*, nec ex parte *ſubjecti* debitum *uſum rectæ rationis*, ſed inſuper requiri *Gratiam* Chriſti & *ſpeciale adjutorium* Spiritûs ſancti, quo cor aperiatur, emollia-tur, et ſupernaturalis veritatis dulcedini habeat pro-

proportionatam ἕξιν & gustum spiritualis judicii.

Probatur *primò* ex iis sacræ Scripturæ locis, qui soli Spiritui hanc virtutem tribuunt, ut assensum firmum rerúmque Evangelicarum intellectum ingeneret. Ille est qui *dat cor ad intelligendum, & oculos ad videndum*, Deut. XXIX. 4. *Dabo eis Cor*, inquit, *ut sciant me*, Jer. XXIV. 7. & XXXI. 34. *Erunt omnes docti à Deo.* Joan. VI. 45. *Pater gloriæ det vobis spiritum revelationis & sapientiæ in agnitione ipsius, ut illuminatis oculis mentis sciatis, quæ sit spes vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hereditatis ipsius in sanctis*, &c. Eph. *Quisquis audivit & didicit, venit ad Christū*, Joan. VI. 45. unde vocatur ἀκοὴ πίστεως Gal. III. 2. Quisquis itaq; non venit, profectò nec didicit. Ita enim, inquit *Augustinus*, Deus docet per spiritûs gratiam, ut quod quisq; didiceret, non tantùm *cognoscēdo videat*, sed etiam *volendo appetat*, & *agendo perficiat*. Et iterum: Qui credunt, prædicatore, forinsecus insonante, *intus à Patre audiūt* atque discunt: qui autem non credunt, *foris audiunt, intùs non audiunt*. Ille est, qui *dat nobis mentem ut cognoscamus*, 1 Joan. V. 20. *Qui mentē aperit ad intelligendū*, Luc. XXIV. 45. Cor etiam *ad auscultandum*, Act. XVI. 24. & *ad Jesum pro Domino agnoscendum*. 1 Cor. XII. 3. unde frequens illa Davidica precatio, quâ rogat ut Deus ipsum doceret, oculos aperiret, intellectum daret, cor dilataret, & in scientiam atq; obsequium mandatorum adduceret, *Psal.* CXIX. 18, 26, 27, 33, 73, 125, 144, 166. Neque enim nisi *Spiritu Domini possumus, quasi retectâ facie, gloriā Domini intueri*. 2 Cor. III. 15-18. Deum scire nemo potest nisi Deo docente, hoc est, *sine Deo non cognoscitur Deus*, inquit *Iræneus*.

Aug. de gratia Christi, lib. 1. cap. 14.

De prædestin. Sanctorum, c. 8.

Iræneus lib. 4. cap. 14.

Irenæus. A Deo discendum est quid de Deo intelligendum sit, quia *non nisi se Authore cognoscitur*, inquit Hilarius. Præclara sunt *Concilii Arausicani* verba: *Si quis per naturæ vires bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi cõsentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatẽ in cõsentiẽdo & credẽdo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis; Sine me nihil potestis facere.* Hilar. de Trin. lib. 5. Concil. Arausi. con. 7.

Probatur *Secundo*, ex immani illa distantia & disproportione inter *objectum* & *facultatẽ*. *Facultas* enim est tota [illegible] *objectum* [illegible]. Facultas autem *animalis* non magis potest quæ ad *Spiritum* pertinent percipere, quàm facultas *sensitiva*, quæ ad *rationem*. *Spiritualia enim sunt spiritualiter dijudicãda.* Altus est hic mysteriorum puteus, nec nobis suppetit in quo hauriamus, *Joan.* IV. 11. *Soli spiritui Dei nota sunt profunda Dei. Ratio communium opinionum*, inquit Hilarius, *consilii cœlestis est incapax.* Hoc solùm putat in natura rerum esse quod aut intra se intelligit, aut præstare potest ex sese. Hilar. de Trin. lib. 1.

Duo autem præcipua sunt *Impedimenta* quibus obstruitur mens & quasi ligatur quo minus plene & secundùm insitam Evangelii pulchritudinem de rebus supernaturalibus sententiam ferat. *Augustino* sunt *Ignorantia & difficultas*; *Clementi Alexandrino*, ἄγνοια καὶ ἀσθένεια. *Primùm* est *nativa cæcitas*, quæ non potest τὸ ὕψωμα τῶν πνευματικῶν attingere, nec lucem quamvis effusam & radios suos mittentem recipere: de qua vide *Jer.* VI. 10. *Joan.* I. 5. & III. 9. & IV. 11, 12. *Eph.* IV. 17, 18. *Joan.* XIV. 8. 2 *Pet.* I. 9. Aug Retract. l. 1. c. 9. lib. de Arbitr. l. 3. c. 18 Clem. Alex. Strom. l. 7.

Secundum, Sapientia Carnis, durities & contumacia cordis, φρόνημα σαρκὸς de quo dicit Apostolus, quod sit ἔχθρα εἰς Θεὸν, Rom. VIII. 7. nec ei subjici *aut velit* propter superbiam, *aut possit* propter inscitiam & pravitatem. Sicut enim *Appetitus carnis concupiscit adversus Spiritum,* ita *Prudentia carnis* adversus Legem & Lumen spirituale rebellis obstrepit: quod passim docent sacræ Literæ, 2*Cor.*X 4, 5. *Luc.* VII. 30. *Mat.* XXIII. 37. & XXI. 42. *Jer.* V. 12. *Zech.*VII. 11. *Act.*VII. 39. *Rom.* IX. 33.

Atque hujus *Inimicitiæ* & contumaciæ mentis adversus lumen spirituale causa est *Iniquitatis dilectio,* & conscientia sceleribus inquinata cui non potest non grave & molestum esse quando occulta dedecoris ὑπὸ τοῦ φωτὸς ἐλεγχόμενα φανεροῦται: *qui enim male agit odit lucem,* Joan. III. 19, 20. Ephes. V. 11, 12. Egregiè Philosophus, αἱ ἀκροάσεις, inquit, κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσιν, ὡς γὰρ εἰώθαμεν οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι. Qualis est cujusq; vita & mores, talem esse veller quam recipit doctrinam: unde *impii cessare ab ipsis cupiunt Sanctum Israelis,* Isai. XXX. 10, 11. &, *Qui vates erit pro vino & sicera, ille erit vates populo huic,* Mic. II. 11 Mite contra ingenium, & anima quæ se totam tradit Christo in obsequium, quicquid spiritualis lucis effulget, avide amplexatur, quippe quæ mentem habet Deo conformem. *Si quis,* inquit Dominus, *voluerit Patris voluntatem exequi, cognoscet de doctrinâ utrum ex Deo sit,* Joan. VII. 17. *Docebit humiles viam suam, & secretũ Domini notum faciet timentibus eum,* Ps. XXV. 9. 14. *Oves Christi ejus vocem audiunt, & illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus,* Joa. X. 3, 4. *Siquando det iis Deus pœnitentiam ad agnitionẽ veritatis,* 2 Tim. II. 25.

Aristot. Metaphys. lib. 1.

II. 25. Qui enim peccati dilectione captivi detinentur, præ *irâ* adversùs veritatem insurgunt, nec cum *mansuetudine* recipiunt insitum sermonem, tardi ad audiendum, ad loquendum contra obstrependúmq; præcipites, *Jac.* I. 19, 20, 21. *Contentiosi* quippe sunt qui veritati obtemperare nolunt, *Rom.* II. 8. Optimè Philosophus de rerum practicarum cognitione, Ἀ-μανθάνομεν ποιεῖν ποιοῦντες μανθάνομεν. Et *ex mandato*, inquit *Hilarius*, *Mandata cernemus*, Τήρησις ἐντολῶν γνῶσις τοῦ Θεοῦ, inquit *Basilius*. *Si in lumine Christi ambulare volumus, à præceptis ejus & monitis non recedamus*: ita Cyprianus. Ante omnia, *Opus est Dei timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem*: ita Augustinus. Καλὸν τυχὸν ψυχὴν σοφίᾳ ἐκκαθαίρεσθαι: ita Gregorius Nazianzenus.

Hilar. in Psal. 119. Gimel & Beth Basil. de Martyre mamante. Cypr. lib. 2. Ep. 3. Aug. de doctr. Christ. lib. 2. cap. 6. & de Trin. l. 1. c. 1. Greg. Nazian. Orat. 26. & 33.

Ut itaque Quæstioni huic de naturalis Rationis gradu in rebus fidei finem imponam, statuendum est, 1. * Res cœlestes Rationis captum excedere, sunt enim *Supra rationem Rectam.* 2. Easdem prudentiæ carnis adversari, sunt enim *Contra rationem Pravam.* 3. *Naturam indigere Gratiâ*, ut facultas ad supernaturale objectum recipiendum ritè disponatur. 4. *Gratiam uti Naturâ*, ut mentis acumine, judicii perspicaciâ, & bonarum literarum luce feliciores fiant in sacrarum literarum studio progressus. Denique Gratiam Spiritûs sancti esse *Principium*, Rectam autem Rationem Spiritu adjutam tantùm * *Instrumentum* spiritualis notitiæ.

Hilar. de Trin. l. 10. in initio.
** Ubi ad profunditatem Sacramentorum perventum est, omnis Platonicorum caligavit subtilitas. Cyp. de Spirit. sancto.*
Si ratio contra sacrarum Scripturarum authoritatem redditur, quamvis acuta sit fallit. Aug. Epist. 7. Vide etiam Ep. 56. & Danæum in Aug. Enchirid. cap. 4. Sect. 9. Justi. Martyr. in exposit. Fidei. * *Unde Rationem Rectam vocat. Clem. Alex* φραγμὸν καὶ θριγκὸν τοῦ ἀμπελῶνος. *Strom. lib. 1.*

Jam subjungenda essent Corollaria quaedam practica quae doctrinam hanc nostris usibus accommodarent; mihi ea propter temporis angustias levi manu tetigisse sufficiet. Itaque,

1. Ne nobis nimium adblandiamur, si forsan exquisitissimis naturae dotibus, ingenii acumine, sermonis elegantiâ, variâ lectione, longo rerum usu, Artium, Linguarum, Scientiarum omnium peritiâ, judicii gravitate, et Rationis penè angelicâ perspicaciâ nos Deus ornaverit, nisi simul accedat spiritualis *Gratiae adjutorium*, quo ad coelestis mysterii cognitionem dilectionemque adaptemur. Quamvis enim splendidissima haec *χαρίσματα* meritò nobis in animis et affectibus hominum famam gratiamque concilient; quamvis magnum inde reipub. Literariae et Ecclesiae Christi emolumentum accedat; nullum tamen ex sese aut ad Dei favorem, aut ad coelestis beatitudinis mercedem consequendam momentum conferunt. Qui enim Noae recipiendo arcam suo artificio fabricarunt, ipsi tamen in diluvio submersi sunt. *Surgunt indocti & rapiunt regnum*, quando nos cum doctrinâ nostrâ eo majore exitio perimus.

Neque enim praestantissima naturae & industriae dona aut acutioris alicujus *morbi* cruciatus lenire, aut inquinatae & rugientis *conscientiae* ictus, & laniatus repellere, aut fugientem revocare *animam*; aut *Gehennae* flammas quasi injectâ guttulâ minuere, aut denique horribilis *irae* Dei excutiendo sustinendóve oneri vel minimas vires subministrare possunt.

Et quamvis omnes coeli terraeque arcanos & abditis-

ditissimos recessus, ingenii nostri solertia & rationis vis indagatrix penetraverit, non minùs longo tamen intervallo ab *Angelica* cognitionis gradu, cumulosque recedimus, quàm cum in staturam bovis assurgere voluit intumescentis ranæ vana ambitio. Hos tamen, Angelos inquam, post lapsum & apostasiam sub tenebrarum vinculis captivos detinet ira Dei, & advenientis judicii horribili metu & tremore concutit.

Quin & accedente nativæ nostræ pravitatis & superbiæ fermento, adversus gratiam Dei, & cælestris doctrinæ simplicitatem insurgit plerumque sapientia carnis, hujusmodi instrumentis armata nequitia, spiritum sanctum, suo quasi gladio, fodit & impetit, ut solet ebullientis aquæ ira ignem cujus beneficio fervebat extinguere, Ut *Belshazzar* aurea Dei vasa in Idolorum suorum cultum adhibuit, *Dan.* 5. 2. Et quemadmodum Moses, Josue, David, aliique sancti heroes Gentilium spolia Deo consecrârunt, ita Satan, Dei æmulus, spiritûs sancti dona in regni sui commoda pervertit, et ab *iis ornari cupit*, uti alicubi loquitur Augustinus. Tertul. de Bapt. lib. 5.

Proinde 2. nativam cordis nostri adversùs gratiam Christi Deique mandata contumaciam agnoscamus, et eo quo par est dolore lacrymisque defleamus, quà salutem respuere, misericordiam repellere, mortem ultro persequi, nosque ipsos *æternâ vitâ indignos* judicare solemus. Nempe ad *ostium nostrum* pulsat indies Gratia Dei, et nos supini obsurdescimus; in *aures* intonat, nos in utramque aurem dormimus; *expectat* dum ad saniorem mentem redeamus, et porrò insanimus; *obse-*

Jon. 2. 8.
Prov. 8. 39.
Act. 13. 46.
Apoc. 3. 20.

crat

crat, & tristiâ afficimus ; *sinum* expandit & terga vertimus; margaritas obiicit, sub pedibus profano fastu conculcamus ; *veste byssinâ, purâ, splendidâ*, armillis, coronis, & pretioso cultu ornare nos voluit, & veteri centone putridisque panniculis nostris seminudi tumidique incedimus : *Vinum, manna panem Angelorum*, cælestem nobis cœnam parat, nos porcorum more siliquas voramus : deniq; *vulnera* sua explicat Christus quæ nos nequitiâ nostrâ laceramus : *sanguine* suo nos abluit, & in cœni volutabro jacemus : *voce, fletu*, clamore, lachrymis amplexus nostras sollicitat, & in libidinum ac pravarum cupiditatum sinum præcipites ruimus. O *Beatos* nos! quibus varia Dei sapientia affulget ; O *Cæcos*! quibus & cœlestis doctrina stultescit. O *beatos* nos! quos precibus Christus obsecrat : O *miseros*! si nec obsecranti Christo auscultemus. Agnoscamus insipidæ Rationis nostræ nugas & levitatem, quæ ea tantum in prædicatione Evangelii sectatur, & manu porrectâ arripit non quæ planctum sed quæ plausum moveant, quæque prurienti ingenio arrideant, nullum interim pietatis sensum gustumque conscientiis nostris ingenerent.

Proinde 3. sese muniant mysteriorum cœlestium *ministri* adversus irrisiones & molestias quas Evangelii nomine expectandas habent. Neque enim munus suum detrectant *medici* aut adversus ægrotantium injurias iram reciprocant, quia forsan queruli & gementes manum medicam repellunt, sed patienter ferunt & Spartanâ nobilitate concoquunt furiosorum alapas, dum ipsis medicinam

cinam adferunt, quamvis pro gratia & beneficio contumelias odiumque referant. Id agamus serio ut peccatores peccati reos & convictos arguamus; ut justitiam Christi & viam sanctitatis conscientiis hominum commendatiorem reddamus; ut mysteria Dei non in sapientia carnis, sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως dispensemus; nec nobis plausum, sed Domino nostro animas lucremur, sanamque & cœlestem doctrinam spirituali piorum gustui attemperemus. Plus nobis ex muneris rite administrati conscientia, ex testimonio Christi, & unius ovis deperditæ conversione solatii proueniet, quam ex Satanæ odio & impiorum hominum rabie aut triste quid aut incommodum metuere possimus.

Proinde, 4. discant oves Christi ea, que de Deo & Christo in Evangelii prædicatione tradita sunt, pro modo & mensura spiritualis judicii *probare*, & *quæ bona sunt*, uti docet Apostolus, *fide retinere*, 1 Thes. V. 21. Quoniam autem quamplurimi sunt, qui dum *carni* nimium indulgent, *Spiritûs* tamen fidem nomenque dictis suis præstruunt, ut majore emolumento fallant, & simplicium animos in erroris consortium facilius pelliceant, ideo nos monet Joannes Apostolus, ut *Spiritus judicemus*; *quia*, inquit, *multi pseudo-prophetæ in mundum exierunt*, 1. Joan. IV. 1.

At qua ratione, inquiet ovis Christi, possim doctrinam cœlestem & Spiritus Christi testimonium ab aliis aliorum spirituum præstigiis & imposturis discernere? Quæstio sana gravissima, & quæ longâ disquisitione enucleari meretur: Unico ego verbo expediam. Itaque

1. Sua

1. Suâ nativâ luce manifesta sunt omnia ad salutem & vitam æternam necessaria piorum animis in *quantum & quousque* pii sunt, suaque suavitate & gustu percipiuntur. *Oves enim Christi vocem ejus audiunt, & extranei vocem respuunt.*

2. Continuis precibus & assiduâ communione Spiritûs sancti conservandus est hic *spiritualis judicii gustus*: iis enim qui secundùm pietatis normam vitam componunt, doctrinam suam Christus patefacere promisit, *Joan.* VII. 17. & *si quid aliter sentiatis*, inquit Apostolus, *hoc quoque Deus revelabit*, Phil. III. 15. nempe iis qui recto pede secundum lucem Evangelii conscientias moresque instituunt.

3. Qualis est Spiritus Dei, talia sunt, quæ ab ipso fluunt, doctrinæ mysteria: nempe Spiritus Christi mansuetus est, humilis, pacificus, sanctus, simplex, liber, cœlestis, sine fuco, & fraude, à terrenis affectibus consiliisque semotus. Si hujusmodi sint quæ fidei vestræ ab hominibus credenda proponuntur; si prudentiæ carnis, si *consiliis commodisque* humanis non attemperentur, nec in eum finem *de novo* cuduntur, ut artibus & astutiis hominum nectendis promovendisque inserviant, (qualia sunt quæ nunc Temporis adversus *vocationem*, *dignitatem*, *sustentationemque ministrorum & bonarum literarum usum* passim apud imperitam plebem blaterant male feriati.) Si *concupiscentiæ* & libidini viam omnem & effugium obstruant; nullumque impiis *peccandi commeatum*, aut patrocinium præstent, (ut solent quæ adversùs Legis moralis spiritualem vivendi normam in vulgus spargunt Libertini:) Si *Liberrimæ Dei Gratiæ* non adversentur; nec *hu-*

mani arbitrii vires in rebus ad salutem pertinentibus extollant; (Qualia sunt, quæ de Electione Redemptione, peccato originali, vocatione efficaci, perseverantiâ Sanctorum, & his similibus, post Pelagium & ejus reliquias de novo in Ecclesiis resuscitarunt Neophotiniani, aliique humanæ libertatis patroni.) Si Legibus & *Institutis* Christi contumeliosa non fuerint, nec Evangelicæ prædicationi & Sacramentis injuriam fecerint: (Qualia sunt eorum dogmata qui ista adultis & perfectioribus inutilia, & humiliora esse quam ut iis semper adhæreant fideles, superbo ore deprædicant:) Si Christo salutis, redemptionis, & *gloriæ Domino, & Deo in secula benedicto*, gloriam suam non surripiant; (Qualia sunt quæ adversus divinam Christi naturam, & sacrificium blasphemo ore vomunt Photinianæ pestis socii & hæredes:) denique, si præcones suos humiles reddant, mites, vitâ sanctos, fide sanos, sapientiâ simplices, institutis & moribus cœlestes, intra suos sese terminos modeste & sobrie continentes, à Spiritu Christi proficisci pro certo habeamus.

Denique cum mysteria Christi omnem superent Intellectum, *Adoremus* variam hanc Dei sapientiam, magnúmque cogitatum patris de mundo per Christum redimendo. Et supplices nos ad thronum gratiæ prosternamus, rogantes ut nos indies gratiâ & luce cœlesti perfundat, ut continuam spiritus ἐπιχορηγίαν sentiamus, quâ ad doctrinam Evangelii percipiendam *apperiatur intellectus*, ad amplexandam *flectatur voluntas*, omnisque cogitatio in *captivitatem redigatur ad obedien-*

dum Christo. Quæ nobis singula pro immensâ suâ misericordiâ Pater cœlestis gratiosè concedat per Christum Dominum nostrum; Cui, cum Patre & Spiritu sancto, sit omnis Laus, Honor & Gloria, in secula seculorum.

AMEN.

FINIS.

Ghizolfi

Animalis homo:

CONCIO

LATINE HABITA

AD

Academicos Oxonienses;

Nono die Octobris, 1649.

PRO

INCHOANDO TERMINO.

AUTHORE

ED. REYNOLDO S. T. D.

Academiæ Procancellario:



Londini, Excudebat *T. Ratcliffe* pro *Georgio Thomasono*, apud
signum Rosæ & Coronæ in C[illegible]rio Paulino, 1650

Animalis homo:

CONCIO

LATINE HABITA

AD

Academicos Oxonienses;

Nono die Octobris, 1649.

PRO

INCHOANDO TERMINO.


AUTHORE

ED. REYNOLDO S.T.D.

Academiæ Procancellario.



Londini, Excudebat [illegible], pro Georgio Thomasono, apud Signum Rosæ & Coronæ in Cœmiterio Paulino, 1649.



Honoratissimo Clarissimoque viro
D. CHRISTOPHERO YELVERTONO,
BARONETTO,
ET
Equiti Aurato, Fautori suo
semper colendo.

Honoratissime Vir,



Uum me ad Secundas regiminis Accademici curas nobilissimi Cancellarii, nostri literæ vocarent, ita mihi præcipue in votis fuit, sepulta pene inter belli Civilis motus, & collapsa Sacræ Theologiæ exercitia pro virili parte meâ in integrum restituere. Consilium hoc quò certius effectum darent, visum est meo quasi quasi exemplo, & Laboris

 consortio

consortio fratribus ac symmistis praire, ut, quod humani ingenii est, properè sequerentur quæ forsan pigris [illegible]. Cùm autem per singu[illegible] ingens premeret negotiorum[illegible] consilio obicem poneret, ruri [illegible] recipio, ut per aliquot dies inter Libros delitescens, me voti hujus reum [illegible] gratiâ [illegible] amici ut opellam publicâ luce donarem. Suadentibus duplici de Causâ obsequentem me præbeo. Primò quia non prorsus inutilem futuram sperarem exercitatiunculam istam Juventuti Academicæ, Sacræ præsertim Theologiæ Candidatis, ut tali monitore inter bonarum literarum Studia veræ insuper pietati operam impendere addiscerent, quando [illegible] saluti, nec usibus Ecclesiæ, nec [illegible] cultui debitè inservire possent, qua[illegible] fitissimus ingenii omnisque literaturæ dotibus instructi, nisi simul Spiritu Christi cœlestique Sapientiâ Evangelicis Mysteriis amplexandis percipiendisque redderentur idonei. Deinde ut hac quamvis tenui & perexigua grati animi tessera publicè testatum darem quam me tibi

bi multis nominibus obæratum teneas. Præsertim quod inter flagrantes Belli *Civilis motus, protinus imminutâ re mea familiari, collapsa valetudine, & vix aliqua vitæ spe residua, in mediis ærumnis sponte tua, nullis precibus aut sollicitatione impulsus, consilio, ope, munificentia tua languentem erigere, ac fovere dignatus es. Neque enim mihi unquam è memoria excidere debet, aut tua, aut integerrimi viri* D. Zouchi Tati *de rebus meis fractis & imminutis cura antiquissima. Quid meis dixi? Cum universa penè in finibus vestris sacris Militiæ &* Evangelici Ministerii *Cohors optimos vos &* Pietatis *&* Doctrinæ *Patronos sentiant predicêntque.*

Deus Opt. Max. *Te, unà cum lectissima Conjuge, Liberísque Suavissimis sub alarum suarum præsidio conservet, & pro Summa tua in Evangelii Ministros pietate æternam mercedem retribuat. Ita animitùs precatur*

E Musæo meo in Æde Christi *Oxon.* IV. Idus *Nov.*

Dignitati tua in Christo obstrictissimus,

ED. REYNOLDUS.

bi multis nominibus obaeratum teneas. Praesertim quod inter flagrantes Belli Civilis motus, protinus, imminuta re mea familiari, collapsa valetudine, & exigua qua vitae spe residua, in medios tumultus sponte tua, nullis precibus aut sollicitatione impulsus, consilio, ope, munificentia tua languentem erigere, ac fovere dignatus es. Neque enim mihi unquam è memoria excidere debet, aut tua, aut integerrimi viri D. Zouchi Tati de rebus meis fractis & imminutis cura antiquissima. Quid meis dixi? Cum universa penè in singulos vestris sacris Militiae & Evangelici Ministerii Celebres optimos vos & Pietatis & Doctrinae Patronos sentiunt praedicantque.

Deus Opt. Max. Te, unà cum lectissima Conjuge, Liberisque Suavissimis sub alarum suarum praesidio conservet, & pro Summa tua in Evangelii Ministros pietate aeternam mercedem retribuat. Ita animitus precatur

E Musaeo meo in Aede Christi Oxon. IV. Idus Nov.

Dignitati tuae in Christo addictissimus

ED. REYNOLDUS

ANIMALIS HOMO.

I. COR. 2. 14.

Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι, καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται.

Animalis autem Homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia: Et non potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.

SCopus Apostoli in tribus primis hujus Epistolæ capitibus est, schisma in Ecclesiâ Corinthiacâ ortum arguere, & quantum fieri potuit ei extirpando medicinam admovere.

Quoniam autem causâ morbi cognitâ faciliùs remedia adhibentur, hujus schismatis causam inter alia ostendit esse grandiloquentiam & ambitionem Pseudo-Apostolorum, qui quum sermonis elegantiâ, ingenii acumine, sapi-

entiâ

entiâ carnis, oratione comptâ, & verborum Lenociniis animos auditorum pellicerent, Apostolo Paulo hoc nomine, uxore omnem fucum, & inanes loquendi blanditias [illegible] struunt, quasi Evangelium Christi [illegible] magniloquentiâ destitutum infidelium fannis ludibrio exponeret.

Atque hinc occasione arrepta variis argumentis ostendit non tantum inutilem & noxiam esse hujusmodi carnis in prædicando Evangelio sapientiam, sed tanto mysterio indignam protinus; cum hac ratione evacuetur crux Christi, *Cap.* I. 17. nec tam Dei quam humani ingenii virtus agnoscatur, quæ vi crucis prosterni debuisset. *v.* 18, 19. Neque enim superbæ hominum curiositati sese submittit, aut accommodat doctrina Christi, sed quam illi quasi stultitiam respuunt in ea singularis Dei potentia & sapientia elucet, *à* versu 19. ad finem capitis primi.

Mirum itaque esse non debet si Apostolorum doctissimus, & qui (modo è re Ecclesiæ fuisset) facillime sermonem suum Rhetorum lenociniis ornare potuit, simplicem potius adhibuerit prædicandi rationem, ut hoc pacto conspicua magis fieret potentia Dei, qui ignominiosa morte redimi electos voluit, & quasi stulta prædicatione ad redemptionem amplexandam efficaciter converti. *cap.* II. 1, 2, 3, 4, 5.

Nec tamen, quamvis verborum & humanæ sapientiæ pompa destitueretur Paulina prædicatio, ideo nulla in ea sapientia, nulla venustas elucebat; sed cælestis, sed spiritualis, sed Evangelii mysterio

myſterio, animarum ſaluti, fidelium guſtui, materiæ denique ſubſtratæ admodum attemperata; quæ doctrinam ſpiritus, profunda Dei; mentem Christi, divina Eloquia oratione piâ, Sanctâ, efficaci, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως explicaret, quæ intimas hominum conſcientias inſtar ancipitis gladii perrumperet, & *captivam duceret cogitationem omnem in obſequium Chriſti*.

Summa eſt; ut Chriſtus ipſe ſeſe ultro *exinanivit, formam ſervi accepit*, omnium denique rerum 1 Tim. 2.14.
indigum exhibuit, nequid à Seculo mutuari videretur ad Eccleſiæ ſalutem promerendam: Ita 2 Cor 8.9.
ſalutis iſtius prædicationem ab omni vaniloquentia, & Suadæ, uti loquuntur Rhetores, medullâ abhorrere voluit, ſolâque cœleſtis gravitatis & ſpirtualis ἀποδείξεως efficaciâ vim ſuam exerere.

Nec tamen eò tendit hæc Apoſtoli Apologia, quaſi Concionatoribus quaſlibet loquendi ſordes, & quicquid in buccam venerit effutiendi libidinem, nullo ſenſu, methodo, gravitate, judicio, dictaret. Quis enim *Paulo* noſtro aut conſcientiis hominum altiùs intonat? aut argumentorum pondere firmiorem aſſenſum cogit? quis ſuavi magis, ſed cœleſti, vi affectus in tranſverſum rapit? & omnia Satanæ, Carniſque ὀχυρώματα proſternit? adeo, ut inter vota ſua habuerit *Auguſtinus Chriſtum vidiſſe in carne*, Paulum *audiviſſe è ſuggeſtu*, quem, niſi malè memini, *Tubam* appellat *Chriſti*, & *Dei nubem*, ut *quot verba tot tonitrua* auribus ſuis inſonare viderentur: Sed inanes verborum floſculos & calamiſtros reprehendit, quibus ψευδοδιδάσκαλοι ſuæ potiùs ambitioni quàm Chriſti Evangelio inſervirent,

ſervirent, nec tam *mentes* hominum *luce* perfunderent, aut *conſcientias calore* pietatis excitarent, quàm prurientes auriculas inani & mox emoritura voluptate afficerent.

Verba Textus obviam videntur ire objectioni. Nempe ſi Sapientiam revera prædicet Apoſtolus, uti dictum priùs *ver. 6.* quî fit ut eam non recipiant, qui ſe totos altioribus Sapientiæ myſteriis perſcrutandis dederint?

Reſpondet Apoſtolus: *Sapientiam loquimur*, ſed *non hujus ſeculi*, verſ. 6. Sed Dei, & *in Deo abſconditam*, verſ. 7. Sed quæ omnes naturalis diſciplinæ aditus, *Oculos*, *Aures*, *Mentes* etiam prudentiſſimorum hujus ſeculi principum excedit, *Ver.* 8, 9. Sed quæ nullo Rationis conatu, ut reliquæ Scientiæ, è principiis per ſe notis extrahitur, ſed ſolo Spiritu Dei patefaciente innoteſcit, qui ſolus *ſcrutatur profunda Dei*, verſ. 10. Ut enim Animalia quæ infra gradum rationis poſita ſunt, mentis humanæ diſcurſus & conſilia ſenſuum perſpicaciâ non attingunt: imo nec Homo quiſquam interiores mentis alicujus conceptus novit, niſi ſpiritus Hominis eos priùs protulerit: Ita altum illud de ſalute noſtra Dei Patris conſilium nullum Humanæ Rationis acumen, niſi præeunte Spiritûs ſancti in Evangelio *patefactione*, & in mente *ſpeciali lumine* ac *auxilio* penetrare aut percipere poteſt. *verſ.* 11, 12, 13. Quod ipſum hiſce verbis & de novo repetit & ratione confirmat.

Duplicem enim propoſitionem duplici Argumento probat.

Pro-

Propoſitiones.

1. ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. Animalis Homo non recipit quæ ſunt Spiritûs Dei.

2. ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δύναται γνῶναι τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. Animalis Homo non poteſt cognoſcere quæ ſunt Spiritûs Dei.

Argumenta.

1. Οὐ δέχεται, μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι. Non recipit, quia ſunt ei ſtultitia.

2. Οὐ δύναται γνῶναι ὅτι πνευματικῶς δ'ανακρίνεται. Non poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur.

Jam ut iſta explicatiùs percipiantur, *Quærendum* hîc occurrit,

1. Quid ſibi velit Apoſtolus per ψυχικὸν ἄνθρωπον. Non mihi arridet Danielis Heinſii ad Helleniſmum ſe recipientis judicium, ut idem ſit ψυχικὸς noſter qui Solomoni, *Prov.* XXIII. 2. בעל נפש *Vir Appetentiæ*, ſive ut ſeptuaginta Interpretes reddunt ἀπαίδευτος, quaſi Beſtialem Hominis appetitum & Ignorantiam vox iſta denotaret, quamvis, (ne id taceam) non deſint qui verbis Solomonis hominem deſignari volunt *Judicio pollentem*. Nec ψυχικὸν hunc cum Eſtio *Adultis*, *perfectis*, ſenſus habentibus exercitatos, & qui Solidioris Cibi capaces ſunt, opponi crediderim, ut idem ſint ψυχικοὶ qui *parvuli*, *Lacte nutriendi*, *imbecilles ad audiendum*, *infirmi in fide*, qui altiora fidei myſteria nondum recipiunt. (Cui tamen Sententiæ Auguſtinum

passim favere observo.) Nec sane protinus excludendos dixerim Homines *Regenitos*, in quantum scilicet *Rationi naturali* nimium indulgent, & ex intelligentia Carnis de rebus divinis judicant.

Verùm cum Homo ex *Carne* & *Anima* constet, Sitque *Anima* pars Hominis præstantior, quamvis sæpiùs irregenitos propter Appetitum in vitia pronum, atque præcipites concupiscentiæ motus, σάρκα, & σαρκικοὺς Apostolus noster appellet: hîc tamen hujusmodi Homines *à præstantiore parte* denominat, ut eos se intelligere ostendat, non qui libidinis mancipia sunt, & crassis Concupiscentiis vel nativum Lumen obruunt, (hujusmodi enim Homines ἄλογα ζῶα vocat Apostolus, 2 *Pet.* II. 12.) sed homines Sapientiæ studio debitos, & qui ea sola quæ stulta & absurda sunt, rejicere solent.

Hîc itaque ψυχικοὶ sunt quotquot τὸ πνεῦμα οὐκ ἔχουσι Explicante Apostolo *Judâ* Epistolæ suæ, *v.* 10. utcunque aliàs exquisitissimis naturæ dotibus præfulgeant, utcunque *potissimam partem*, nempe *Animam* omnigenâ eruditione excolant, et rectissimè ad præscriptum Rationis vitam dirigant. Denique eos hic ψυχικοὺς vocat quos supra *Sapientes*, *Scribas*, *Disquisitores*, et istius *seculi Principes* appellaverat, ut excludatur quicquid est nativæ aut acquisitæ perfectionis, quo naturæ viribus assurgere possit Ratio humana. Sic *Animalem* nostrum explicat Augustinus, qui secundùm Hominem sapit, ὁ μόνην τὴν ἔμφυτον σύνεσιν ἀνθρωπίνην ἔχων, ut optimè Græcus Scholiastes. ὁ τὸ πᾶν τοῖς λογισμοῖς τῆς ψυχῆς διδοὺς, καὶ μὴ νομίζων ἄνωθεν δεῖσθαι βοηθείας. ut rectè Chrysostomus. ὁ φυσικῇ ἀκολουθίᾳ πάντα γίνεσθαι οἰόμενος.

Tract. 98. *in Joann.*

ἄνθρωπος, καὶ μηδὲν ὑπὲρ φύσιν. uti Theophylactus. Qui denique nihil in se eximium habet, præter *Animam Rationalem* cujus solius lucem ductúmq; sequitur.

Quærendum Secundò, quid sibi velit Apostolus per τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. Nempe τὰ τοῦ Θεοῦ norûnt etiam Gentilium Philosophi, docente Apostolo, *Rom.* I. 19, 21. τὰ δὲ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ sunt 1. Ea regni Christi *mysteria* quæ sola Spiritûs sancti *patefactione* non Ecclesiæ solùm, sed et Angelicis potestatibus nota fiunt, uti docet Apostolus, *Eph.* III. 10. Πῶς γέγονε διὰ θανάτου ζωὴ, καὶ δικαιοσύνη διὰ τῆς ἀτιμίας, καὶ διὰ τῆς κατάρας εὐλογία, καὶ δόξα διὰ τῆς ἀτιμίας, καὶ διὰ τῆς ἀσθενείας ἡ δύναμις· πῶς ἡ ζωὴ θανάτῳ μίγνυται, &c. uti locum illum fusè et eleganter explicat Gregorius Nissenus.

Nyssen. Hom. 8. *in cant.*

2. τὰ τοῦ πνεύματος sunt ea etiam ἐνεργήματα quibus cor hominis aliàs cæcutientis aperit, ipsíque intellectum, et vim percipiendi, diligendi, obsequendi infundit: qualem spiritûs efficaciam ἔλεγχον appellat Christus, *Joan.* XVI. 8.

Quærendum Tertiò, Quid sit hic οὐ δέχεται. Neq; enim consentiunt Interpretes. *Metaphoram* subesse judicat doctissimus *à minoribus vasculis*, quæ proportionem et capacitatem suam excedentia non recipiunt. Grotius idem vult esse quod mox γνῶναι. Et sic plerique de *Intellectu* dici volunt.

Mihi felicior videtur eorum conjectura qui hic potius *Affectum* designari volunt. Ut Sensus sit, non *Recipit*, non *Amplectitur*, Adversatur, respuit, explodit, irridet. Sic apud *Joannem* idem est *Christum lucem* non *recipere*, Cap. I. 11. quod postea, *Tenebras magis deligere*, Cap. III. 19. rectè monuit

vir

P. ælect. in Mar. 10. 3. vir doctissimus Joannes Camero, doctrinam in sacris literis passim vocari *Traditionem*; quæ autem traduntur. Recipi tum demum dicuntur ab iis quibus Tradita sunt, quando obsequium præstant: unde in Novo Testamento inquit δέχεσθαι λόγον est קִבֵּל auscultare, obedire, exhibere ὑπακοὴν πίστεως. unde frequentissime vox illa δέχεσθαι, si loca singula accuratiùs exploremus, *Affectum* & amorem in Novo Testamento innuit. Et hoc Sensu maximè cohærent inter se verba Apostoli. *Respuit* Animalis Homo Evangelium & Reprobat, quia ipsi *Stultum* videtur. *Stultum* autem judicat, quia non potest *intelligere*: ideo denique non *intelligit*, quia spirituali luce & facultate destituitur, magisque reconditum & sublime sit pietatis mysterium quàm ut humanâ mente apprehendatur. Itaque οὐ δέχεται notat hic *Affectus* & voluntatis *contumaciam* spiritualia aversantis, οὐ δύναται γνῶναι, *mentis Impotentiam* in iisdem protinus cæcutientis. πιστὸς inquit Apostolus, λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, de summâ Evangelii loquens, 1 *Tim.* I. 15. πιστὸς, adeoque *mente Credendus*; ἄξιος, adeoque *Affectu Recipiendus*, quorum utrumque hîc loci ψυχικῷ nostro denegatur.

Quærendum Quartò, quid sit μωρία γάρ αὐτῷ ἐστι. Notatur per αὔξησιν istorum hominum *fastus*, summùsque apud ipsos Evangelii contemptus. Non tantùm non approbant, sed & explodunt, & cum irrisione rejiciunt: ut hominem scelestissimum *Scelus* vocamus: ita quæ protinus insipida & absurda videntur istis *divinitatis censoribus*, uti loquitur Tertullianus, *qui consultiores sibimet videntur*

Contra Marcion. lib. 2. c. 2.

dentur

dentur Deo, non ut Stulta tantùm & inepta, sed ut *ipsammet Stultitiam* respuunt. Sic populum rebellem quò graviùs pungat Propheta, *Rebellionem* vocat, *Ezek.* XLIV. 6. Cumque hi soli ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες uti loquitur Apostolus, tamen ut solet plerùmque malè affectus oculus suo ipsius colore objecta omnia perfundere, τὸ ἐκείνων πάθος καὶ νόσημα τοῦ πνεύματος ὑμῖν ἀνατιθέασιν, uti apud Oecumenium loquitur Photius.

Quærendum Quintò, Quid sit οὐ δύναται γνῶναι. Nempe non est tantùm *desidiæ* & negligentiæ culpa, quasi posset intelligere mysteria ista, modò vires Rationis exereret: nec tantùm damnatur *contumacia* voluntatis Evangelium aversantis, sed φυσικὴ ἀδυναμία, summa insuper *Impotentia* ad percipiendam cœlestem doctrinam. Summa sanè undique *Impotentia*. In *Mente*, οὐ δύναται γνῶναι. In *Voluntate*, οὐ δύναται ὑποτάσσεσθαι, *Rom.* VIII. 7. In *Fide*, οὐ δύναται λαβεῖν, *Joan.* XIV. 17. In *Fructu*, οὐ δύναται καρπὸν φέρειν, *Joan.* XV. 4. In *Cultu*, οὐ δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν, 1 *Cor.* XII. 3. In *Praxi*, οὐ δύναται Θεῷ ἀρέσαι, *Rom.* VIII. 8.

Quærendum Ultimò, Quid sit πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Est *verbum forense*, ut observant Budæus & Grotius, & significat accuratâ & quasi* duplici diligentiâ inquirere an rectè quid, an secus fiat. Ἐξετάζειν τὸ πραχθὲν εἰ καλῶς ἢ κακῶς ἀπεπράχθη: explicante Phavorino. Transfertur hic ad examen doctrinæ. δύναμιν autem διακριτικὴν ostendit non procedere ab insitâ Rationis vi & perspicatiâ, sed à Spiritûs sancti afflatu, πίστεως δεῖται τὰ λεγόμενα, καὶ λογισμοῖς αὐτὰ καταλαβεῖν οὐκ ἔνι, inquit Chrysostomus: ut

* Ἡ Ἀνα πρόθεσις δευτέρωμα τι δηλοῖ ὡς ἐν τῷ Ἀναβαπτίζειν φαίνεται, καὶ ἀνακρίνειν. Eustath. in Iliad. α.

ut enim qui Legem condit optimus est istius Legis interpres: ita Spiritus Dei, *à* quo procedit Evangelii doctrina, nobis eam dijudicandi, indagandi, discutiendi facultatem ingenerat.

Tria interim hîc observanda, ne subsit errandi occasio. Nempe 1. notari hîc *Judicium* non *publicum*, *Ecclesiasticum*, *ministeriale*, quasi quilibet Dei grat*iâ* imbutus, eo ipso statim aptus sit & idoneus, qui muneris Ecclesiastici, & prædicandi Evangelii tremendum onus in se recipiat: sed *Judicium discretionis* & *approbationis*, quale erat illud Beroënsium, qui *receperunt sermonem cum omni alacritate, quotidiè examinantes Scripturas an hæc ita se haberent*, Act. XVII. 11. quod Franciscus Junius alicubi vocat *Gustum spiritualis judicii*, quo quis sanam ac cœlestem doctrinam *à* fermento & insipidis ineptiis discernit, & solius *Christi vocem audit*, & agnoscit, *Joan.* 10. 3, 4.

2. Jucundum hoc non esse *Absolutum*, & omnibus numeris perfectum, sed κατὰ μέτρον τῆς δωρεᾶς, & in quantum quis Spiritu sancto afficiatur; quandoque enim etiam vir pius *non sapit quæ sunt Dei, sed quæ Hominis*, Matth. XVI. 23.

3. Spiritum sanctum esse quidem istius Judicii *causam principalem*, non tamen sine verbo Dei, ut efficaciæ suæ *instrumento*, quo voluntatis contumaciam deprimit, & intellectûs assensum producit. Quæ enim Spiritui sancto tribuuntur, eadem passim & divinis eloquiis adscribi legimus. *Psal.* XIX. 7, 8, 9. *Joan.* XVII. 17. *Rom* X. 8, 17. *Act.* XX. 32. 2 *Cor.* X. 4. 5. 2 *Tim.* III. 15.

Hucusque

Hucusq; Scopum, Analysin, & sensum verborum proposuimus; Jam sex in se continent gravissima Theologiæ *porismata*, digna sane quæ si nobis Tempus suppeteret, singula fusius explicanda susciperemus: mihi satis erit ea tantum quasi digito monstrasse, ut ad id quod præcipue propositum habui festinantius accedam. Forsan sub uno isto capite horum plurima sese nobis de novo expedienda offerent.

Primum, Posse hominem miro ingenii acumine, & exquisita, omnibusque numeris absoluta Sapientiæ, Doctrinæ, Artium, Scientiarumque peritia præpollere, atq; interim à vita Dei rebusque ad Cœlestem gratiam pertinentibus alienum protinus esse. Nicodemus erat ὁ διδάσκαλος, *insignis in Israele Doctor*, & tamen spiritualis ac cœlestis Regenerationis protinus se inscium exhibuit, *Joan.* III. 9, 10.

Secundum, Hominibus non tantum Concupiscentiæ & Lubidini mancipatis, sed & iis, qui seriam & sollicitam indies Sapientiæ studiis operam impendunt, dum *solâ rationis Luce* ducuntur summam inesse adversus pietatis mysteria cordis & *affectuum contumaciam*: cum ipsum φρόνημα σαρκὸς, *Inimicitia sit adversus Deum*, Rom. VIII. 7.

Tertium, Duplicem esse de Deo rebusque Divinis cognitionem: unam *nativâ Luce* acquisibilem, quando quæ sciuntur cum innatæ Rationis principiis, animæq; testimonio concordant. *Rom.* I. 19. alteram *sola Revelatione* & spirituali gratia ingenitam, utpote omnem Rationalis disquisitionis vim superantem. Illa est cognitio respiciens τὸ τοῦ

Θεοῦ, hæc, τῶν μετ' αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ. Illa notitia *Naturalis*, hæc *familiaris*, ut rectè distinguit Tertullianus.

Lib. de Spectac. cap. 2.

Quartum, cum doctissimorum hominum animalis naturaliter inesse *fastum*, ut non tantùm insurgant contrà, & mysteria Christi superbè respuant, sed sannis insuper et irrisione excipiant tanquam rem vanam ipsaque etiam Stultitiâ stultitiorem. Τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν, inquiunt *illa gloriæ animalia*, *Act.* XVII. 18. Viluit superbis vel ipse Deus Magister, ut parùm sit miseris quòd ægrotant, nisi se in ipsa ægritudine etiam extollant, et de Medicina quâ sanari poterant erubescant. Ita puduit doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, inquit *Augustinus*.

De Civ Dei, lib. 10. cap. 29.

Quintum, Summam esse in unoquoque homine naturali non tantùm mysteriorum Evangelii *Ignorantiam*, sed & ἀντιπάθειαν et συνεχῆ ἀδυναμίαν ad rerum spiritualium perceptionem. Proinde fidem in nullius arbitrio positam esse, sed divinitus à Spiritu gratiæ ἐκ δωρεᾶς distributam. *Lux*, inquit Apostolus, *in tenebris lucet: sed tenebræ eam non comprehenderunt*, Joan. I. 5. *Non idonei sumus per nos ipsos ad cogitandū quicquam, velut ex nobis ipsis*: 2 Cor. III. 5. sed protinùs *pauperes, cæci, nudi*, Apoc. III. 17.

Sextum, Illud [illegible] quâ fideles ritè in rebus Dei sapiunt, mentemque Christi et pietatis suavitatem quasi gustu percipiunt, esse *supernaturale donum* Spiritûs sancti, non tantùm *objectum* ipsum in Evangelio *patefacientis*, sed et *mentem* suo afflatu ac lumine *perlustrantis*, et animam instar ceræ quasi *in doctrinæ typum tradentis*, quo ad cœlestis Sculpturæ imaginem figuretur: quò respicere videtur Pro-

pheta, *Dabo* inquit *Legem meam in medio eorum,& in corde eorum ſcribã eam*, Jer. XXXI. 33. Et Apoſtolus, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, *Rom.* VI. 17.

Reſtat jam ut præcipuum & ſane unicum hujus loci ſcopum plenius explicandum ſuſcipiam, dum eâ quã fas eſt,brevitate *Quæſtionem* hanc expediam, [Quouſq; ψυχικὸς ἄνθρωπος *Res divinas cognoſcere poſſit vel circa eas cæcutiat.*]

Circa quam Statuendum *Primò* eſſe in omni Homine naturalitèr συντήρησιν, συνείδησιν & κοινὰς ἐννοίας, per quas de Deo, de Peccato, de Judicio, de Præmiis & Pœnis aliquam quamvis perobſcuram ferre ſententiam poſſint,quod de Gentibus, *quæ ſine Lege ſunt*,docuit Apoſtolus, *Rom.* II. 14, 15.

Secundò,Res de Deo cognoſcibiles eſſe in duplici genere : quædam enim *naturales* tantum ſunt et *morales*;aliæ *ſupernaturales* et *evangelicæ*,quarum nulla ſunt humanis conſcientiis indita ſemina,ſed ſpeciali auxilio imprimuntur:*fiunt* enim, *non naſcuntur Chriſtiani*, uti loquitur Tertullianus.

Quibus poſitis, diſcimus *Primò*, Dari aliquam Dei Rerúmque divinarum *naturalem Cognitionem*, Lumine Rationis,Conſcientiæ teſtimonio , omnium denique gentium Conſenſu et Suffragio comprobatam; τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ vacat Apoſtolus, *Rom.* I. 19. Neque enim ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, *Act.* XIV. 17. quin et *palpando inveniri poteſt*, Act. XVII. 27.

Sive enim conſideremus *primò* rerum omnium *origines*,neceſſe eſt(cum ſibimetipſis cauſam eſſendi præbere non potuerint) ut tandem ad cauſam aliquam primam,abſolutam, omnipotentem aſſurgat

 intel-

intellectus, quæ rebus singulis materiam, formam, finem essendi & operandi dederit. *Psal.* C. 3. Sive 2. Rerum inter se *ordinem* & *consensum*, quæ indivulso nexu sibi mutuo cohærent, optimeque sibi invicem subserviunt, & attemperantur, de quo Spiritus sanctus passim, *Psal.* CIV. 147, 148. Sive 3. Impressa rebus irrationalibus *Rationis vestigia*, ut formicis, apibus, avibus alvearia & nidulos suos miro artificio conficientibus, taliaque agentibus, quæ, cum rebus ipsis nulla dijudicandi vis insit, *supremi moderatoris* Sapientiam, cujus ductu & imperio rerum omnium ὄψιμα diriguntur, manifeste ostendunt: docente Spiritu sancto, *Job.* XXXIX. *Prov.* XXX. 24, 28. Sive 4. Rerum naturalium *fœdera*, & quasi ex compacto constitutas inter se operandi leges, dum, ut in commune consulant, suo quælibet quasi Jure nativo cedunt. Cum enim in rerum creatarum compage Aquis post Aerem proximæ debeantur vices, patiuntur tamen sibi fræna injici, & terminos præfigi, ne Terra, hominibus destinata sedes, submersa jaceret, & domino suo recipiendo redderetur inidonea: de quo loqui videtur Apostolus, quando dicit, *Terram Dei verbo ex aquâ & in aquâ consistere*, 2 Pet. III. 5. Sive 5. Mirabilem *corporis humani structuram* & compagem, nullo parentum artificio, conatu, aut industria formatam, & tamen singulari ratione Animæ motibus & imperio attemperatam, & quasi *acu & arte Phrygionicâ contextam*, uti loquitur Psalmista, *Psal.* CXXXIX. 14-16. Sive 6. ipsius Animæ *recessus* & *motus*, impressa ibi Religionis semina, inditum Numinis timorem, conscientiæ etiam ab occultis sceleribus verbera & cruciatus:

ciatus: de quibus Apostolus, *Rom.* II. 14. *Sive* denique, mirabiles *providentiæ eventus* recolamus, quando ex malis sæpe bona, ex contrariis contraria prodeunt, quibus scelerum artifices in sua ipsorum capita consilia nectunt, ut passim videre est, *Gen.* L. 20. *Isai.* X. 6, 7. *Act.* IV. 28. *Job.* V. 12, 13. Ex istis singulis, ne alia infinita congeram, manifestum est insita esse & impressa rebus omnibus Dei vestigia, quæ mentibus humanis non possunt sese non naturali luce objicere.

Et quamvis pauci extiterint ut *Protagoras Diagoras*, & alii qui *Athei* dicti sunt, & Deum nullum agnoscerent: illud tamen aut propter deorum Gentilium futilitatem, aut studio novitatis, aut pravo ingenio & mente sceleribus occæcatâ, adeóq; *voto* potius quam *judicio* adserebant. Nempe illorum maximè interfuit ne quis Deus esse qui mundum judicaret: iis etiam subinde novo impetu recurrit, quæ prius evanuisse videbatur, Lux insita, & quamvis divinitatis sensum malitia suffocârint, illum tamen subinde resuscitant acriores conscientiæ morsus, & scelerum cæca atque occulta verbera.

Dicimus *Secundò*, Dari *naturalem* rerum *moralium* cognitionem, & inditas esse humanis mentibus communes Justitiæ, Temperantiæ, & Probitatis notiones quibus & dirigi debeat, & argui conscientia. Quemadmodum enim *affectibus Sensitivis* suæ competunt ὁρμαὶ φυσικαὶ: & *facultati Intellectuali* πρῶτα ἀξιώματα, quorum lumine ad indagandum veritatem adjuvatur: ita *Conscientiis* hominum quasi innatæ sunt κοιναὶ ἔννοιαι, seu *Rationis moralis & practicæ principia*, quibus et erga nosmetipsos, et erga proximos,

ximos, et humanam societatem ritè secundùm Sobrietatis et Justitiæ normam instituamur. Unde de Gentibus, quæ Legem non habuerunt, dicit Apostolus, quòd *naturâ, quæ Legis sunt faciunt, &, sibi-ipsis lex sunt, ostendántque opus Legis scriptum in cordibus suis*, Rom. II. 14, 15. 1 Cor. XI. 13, 14. Jude. v. 10. Malâ autem fide, et Jesuiticâ, *Calvinum* ex hac parte insimulat *Bellarminus*, quasi istam in nobis cognitionem prorsus extinctam assereret: qui de Bono morali tantùm in ordine ad divinum cultum et salutem consequendam sermonem instituit, nec alio respectu legis naturalis vim labefactare voluit.

De Grat & lib. Arbit. l. 5. c. 3.

Institut. lib. 2. cap. 2, Sect. 21.

Dicimus *Tertiò*, Ista Rerum moralium residua in animis hominum Principia, quamvis Gratiæ Generalis auxilio aliquid conferant ad humanæ Societatis ordinem conservandum, vitámque *Ethicè* quoad famam bonúmque *Civile* transigendam: esse tamen manca protinùs et inutilia aut ad *spiritualis* obsequii fructus, aut ad *cœlestis* vitæ mercedem. Est hæc conclusio adversùs eos qui ad salutem sufficere volunt etiam Ethnicis eam Dei cognitionem, quæ naturaliter haberi potest, nec aut supernaturalem fidem, aut notitiam Christi media esse necessaria ad vitam æternam consequendam. Huic sententiæ (nisi malè memini) favere videtur *Erasmus* in Procemio ad Quæstiones Tusculanas Ciceronis, eámq; incrustavit *Claudius Seysellinus* in Tractatu de Divinâ Providentiâ; cujus sententam explicat & refellit *Franciscus Collius* in Opere suo de Animabus Paganorum. Qui, quamvis Paganos probaverit nihil habere roboris ad salutem consequendam, nec se præparare posse ad gratiam Justificationis, aut ad

Vide Hieron. *adversus* Jovinianum, *lib.* 1.

Lib. 1 *cap.* 11. & 20.

ad vitam æternam: quum tamen suavitati providentiæ divinæ, & liberalitati convenientissimum judicet, ut iis qui pro virili præcepta naturalia custodiunt, ulteriora fidei & gratiæ media ad salutem consequendam conferantur, tandem per integrum Librum secundum nescio quas rationes excogitat, quibus Deus saluti Paganorum consulere voluit, per appariтiones Christi in specie Pueri, Senis, Leprosi, per ministeria & species Angelorum, B. Virginis, mortuorum & Gehennâ resurgendium; quæ, cum in sacris literis fundamentum nullum habeant, sed plane iis contradicant, tutius est & moderatione Christianâ dignius, vias & judicia Dei imperscrutabilia adorare, quam futilibus figmentis ad misericordiam ampliandam viam præmunire.

Huic Errori pernicioso occasionem præbuerunt laxiora quædam & satis incommoda dicta *Justini*, *Clementis*, *Alexandrini*, *Origenis*; qui dicet Gentilibus Patriam cœlestem absque fide negatam voluit, nescio quam tamen operibus Ipsorum bonis mercedem debitam comminiscitur; denique *Chrysostomi*, (si fides habenda *Sixto Senensi* in Bibliotheca Theologica) Qui fidem unius Dei & occulti misericordiæ atque providentiæ ordinis, absque speciali notitia mediatoris satis fuisse gentibus asserit ad salutem consequendam. * Quam sententiam fusiùs persequitur *Andradius Lusitanus*, & *Andreas Vega*; eamque defendere videtur Jesuita *Maldonatus*: sed eam ad omnibus ut erroneam rejici dicit *Gregorius de Valentia*.

Just n. *Apol.* 2. *pag.* 83. *edit. Paris.* 1615. Clem. Alex. *Strom l.* 1. & 6. Origen *in Rom.* 2. Sixt. Senens. *Bibl oth.* l 6. *Annotat.* 51.

* Angrad. *Orthodox. explicat. lib.* 3. Vega de *Justif. li.* 6. *c.* 18, 19. Maldonat. *in Joan.* 5. 6.

Greg. de Val. *To.* 3. *Disp.* 1 *Qu.* 1. *punct.* 2. & 4. *consulendi* Montacutius noster. Exercit. *Ecclesi.* 1. *Sect.* 1, 2, 3 & 4. *Apparat.* 1. *ad* Origines, *Sect.* 49-99. Bannes *in* 2*am* 2*æ qu.* 2. *art.* 8. Espencæ *in* 2 *Tim.* 3. *digress.* 17. Lor in. *in Act.* 2. 38. & 4. 12. & 10. 2. Baldwin. *Cas. Consc. l.* 2. Navar. *Manual. cap.* 8. *Sect.* 22.

Thesis

Thesis ista probatur *primò*, quia principia haec moralia sunt pravis concupiscentiis usque eo obruta, ut sufficere nequeant ad conscientias *à* peccati dilectione expurgandas, cum qui maxima Dei notitia apud philosophos pollerent, *veritatem in iniquitate detinuerint*, uti docet Apostolus, *Rom.* I. 18. Id variis exemplis confirmat *Tertullianus* Philosophos Atheismi, Laesae Majestatis, Impudicitiae, Adulterii, Tyrannidis, Perfidiae, Adulationis, aliorum criminum eleganter incusans; nec dissentiunt * Scriptores Ethnici, *Athenaeus*, *Plutarchus*, *Diogenes Laertius*, qui Philosophos fuisse impuros puerorum corruptores tradunt.

* Tertul. Apol. cap. 46. & Athenag. Legat.

* Athenaeus lib. 4. & 14. *Plutarch* Περὶ παίδων ἀγωγῆς *Diog. Laert.* in vita *Arcesilai*. Inter Socraticos notissima fossa cinaedos. *Juven.*

2. Nec ad Deum rite colendum, nec ad Dei Justitiam fide amplexandam, nec ad tentationes & insidias hostium evitandas, nec ad spirituales nequitias superandas, absque Evangelii praesidio, & fidei fundamento assurgere potest mens humana, quamvis eximiis naturae dotibus alioquin ornatissima, *Joan.* XV. 4. 2 *Cor.* III. 5.

Cum Deus sit *Spiritus*, & Pater *Caelestis*, Joan. IV. 24. Matth. 7. 21 nulla ipsi nisi *spiritualia* obsequia & conversio *caelestis* placere possunt, 1 *Pet.* III. 4. *Phil.* III. 20. Spiritu itaque ejusque auxilio opus est, quo tanquam suffitu officia nostra reddantur in Christo grata, quo tanquam vinculo salutis nostrae Authori firmiter uniamur. Jam vero *spiritualia* sunt in superiore gradu & ordine; nec naturae debita, nec rationi indita, nec omnibus concredita, sed voluntaria dispensatione *à* Christo Capite in Membra selecta, prout ipsi placuerit, per verbum effusa.

Quamvis itaque possit aliquis absque verbo

duce

duce, & fidei charitate opera quædam facere quoad *materiam* & externam *operis substantiã*, quoad *speciẽ* etiam, *famam*, & humanam societatem *Ethicè bona*; tamen quoad *operandi principia*, modum, finem, formam, ut sint obsequia *Deo grata* ad vitam æternam, fieri non potest ut moralium principiorum viribus sine luce Evangelii & gratiâ Christi opus aliquod verè & spiritualiter bonum inchoetur aut perficiatur. Infinita ferè sunt Scripturæ Sanctæ testimonia quibus veritas ista confirmatur; nempe in *solo Christo* Justitiam, Salutem, vires nostras omnes fundari, *sola fide* posse nos per dilectionem operari, & Deo placere. *Joan.* XV. 3, 4. *Act.* IV. 12. *Eph.* II. 10. & IV. 20, 21. *Phil.* IV. 13. *Eph.* VI. 10. 1 *Pet.* II. 5. *Act.* XV. 9. *Gal.* 5. 6. *Heb.* XI, 6. ut frustra sit istis diutius immorari. Deum quidem norunt Ethnici, sed jure *naturali* non etiam *familiari*, de *longinquo* non de *proximo*, uti distinguit Tertullianus. *Quia Christi non habet condimentũ, vanus est eorũ labor, & peritura ædificatio*, inquit Hieronimus: & iterum, *Non statim qui jejunat, Deo jejunat, nec extendens pauperi manum Deo fœnerat.* Πίστις enim est δικαιοπραγίας θεμέλιος, uti loquitur Clemens Alexandrinus. Materiam hanc fusè tractarunt, qui causam Dei contra Pelagium, ejusque reliquias egerunt; * Augustinus, Prosper, Fulgentius, alii, ut Bradwardinum, Gregorium Ariminensem, & reliquos è sanioribus Scholasticis taceam.

Hieron. *in Eze.* 13. *& contra Luciferianos.*

Clem. Alex. *Strom lib* 5.

* *Aug. Retract.* *lib.* 1 *cap.* 3. Ep. 105, 107, 120. *Lib. de spirit. & liter. passim Lib. de Fide & Operib. c.* 16. *ad Simplicium. lib.* 1. *qu.* 2. *de Civ. Dei. lib.* 5. *cap.* 19 *lib.* 19. *cap.* 25. *de nupt. & concupisc. l.* 1. *c.* 3. *contra Julian. lib.* 4. *c.* 3. *Prosper contr. collat. cap. & lib. de vocat. Gent. (si ejus sit) lib.* 1. *cap.* 7. *Fulgentius de Incar. & gratia Christi, cap.* 20, 25, 26, 27. Leo. *Serm* 4. *de nat.* Christi. *Greg. Ariminens.* 2. *dist.* 1. *qu.* 3. *art.* 2. *& dist.* 26. *qu.* 1. *art.* 3.

Dicimus *Quartò*, Rerum supernaturalium & my-

ſterii Evangelici non eſſe cognitionem aliquam naturalem, aut naturæ viribus acquiſibilem, ſed ad eam neceſſariò prærequiri, 1. ex parte *Objecti*, divinam *Revelationē* in Scripturis factam, & Traditione ſive miniſterio Eccleſiæ nobis ad credendum propoſitam; 2 Ex parte *Subjecti*, *apertionem* intellectûs, obſequium & *pium affectionem* voluntatis; denique induſtriam & uſum rectæ Rationis, ſed adſpiratione & illuminatione Spiritûs à nativâ cæcitate, & carnali inimicitiâ liberatæ priùs & ſanatæ.

Et quantum ad priorem partem iſtius concluſionis ſummus eſt inter omnes conſenſus, nempe requiri *patefactionem Divinam* ex parte *Objecti*, cum per ſe Naturæ ordinem excedat, nec ſit aliqua Evangelii Ratio ſeminalis intra ambitum Intellectualis virtutis. *Nemo*, inquit Chriſtus, *novit Filium niſi Pater, nec Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cuicunq; voluerit Filius, retegere*, Matth. XI. 27. *Caro & ſanguis iſta non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis*, *Matth*. XVI. 17. Nec Humanum ſolùm, ſed etiam *Angelicum* intellectum ſuperat grande hoc ſalutis Arcanum, nec niſi per *Eccleſiam*, ſive per diſpenſationem Evangelii Eccleſiæ factam, poteſtatibus hiſce, quæ in cœlo ſunt notum ſit, uti docet Apoſtolus, *Eph*. III. 10. Semper itaque ſub *Abſconditi Myſterii* titulo proponitur, ut inde manifeſtum ſit omnem Intellectualis Judicii aciem excedere, niſi cœlitùs fuerit patefactum. Μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον, Rom. XVI. 25. Σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, 1 *Cor*. II. 7. Μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἐν τῷ Θεῷ Eph. III. 9. Col. 1. 26. Μέγα μυστήριον, 1 Tim. III. 16. *Myſterium* autem eſt ἀπόρρητον καὶ θαυμαστὸν, καὶ ἀ-

Vide Greg. Nyſſen. in Cantica, Hom. 1. & *Chryſoſt.* Hom. 7. in 1 Cor.

γνοῦμ

γινώμενον uti loquitur Chrysost. *Mysterium* itaq; cum sit doctrina Evangelii, proinde occulta, arcana, & naturali luce inaccessa. Et huc alludere manifestum est magnum illud *Arcæ Fœderis* & *Sancti Sanctorum* secretum, quod soli Pontifici, idque semel tantum quotannis patebat. Neque unquam illis impune fuit, qui magnum illud Gentis *Arcanum*, curioso oculo ausi sint penetrare, aut Sacrilegiâ manu diripere. Quod sicut de *Bethsemitis* narrant sacræ Literæ, 1 *Sam*. VI. 19. ita & de aliis, ut de pompeio, & Crasso observare licet; qui postquam Templum Heirosolymitanum violassent, infelici protinus exitu perierunt. Quin & *Angeli* in Arcam Fœderis obtutu mirabundo oculos figebant, & grande illud misericordiæ Arcanum adorabant, *Exod*. XXXVII. 7, 8, 9. quò alludere videtur Apostolus Petrus, 1 *Pet*. I. 12. Εἰς ἃ, inquit, ἐπιθυμοῦσιν οἱ Ἄγγελοι παρακύψαι, ut solent qui lætum aliquod aut grande spectaculum, protenso per fenestram collo, intuentur. Christo autem crucifixo, perruptum erat velum, ut jam *retectâ facie* altum illud salutis mysterium & gloriam Domini *quasi in speculo* intueamur.

Vide Florum, lib. 3. cap. 5. Tacit. Hist. l. 5. Joseph. de bello Iudaico. l. 1. c. 5. et Antiq l. 14 c. 14. Aug. de civ. Dei, l. 18 c. 45.

Quantum autem ad alteram Assertionis partem, quæ ex parte *subjecti* Illuminationem & *gratiam Spiritûs* requirit, quâ naturalis cæcitatis & pravitatis velamen auferatur, *adversarios* habemus, tum *antiquos*, *Pelagium* ejúsque reliquias, ut videre est apud (a) *Augustinum*, *Prosperum*, *Concilium*, *Arausicanũ*, *Joannem Gerandum Vossium*, & *Joannem Latium*: tum

(a) Aug. Epist. 107. Prosp. contra Collatos. c. 12. et 13. Conc. Arausic. can. 5, 6, 7. Vossius Hist. Pelag. lib. 3. part. 2. Thes. 1. 3. Laitius l. 2. de. Semipelag. cap. 2. thes. 1. et cap. 5.

etiam *novos*, Socinianæ, videlicet, farinæ doctores; qui solo *Rectæ Rationis usu* & vi liberi arbitrii, absq; speciali Gratia facultatem sanante, omnia Evangelii mysteria intelligi, cognosci, credi posse affirmant. *Sine Revelatione*, inquit (b) *Valentinus Smalcius*, *Homo nec perfectè voluntatem Dei scire potest, nec auxilium ad eam præstandam habere, quod utrumque præstat Revelatio.*

Ut autem rei veritas magis perspicua fiat, notandum, cum (c) Philosopho *duplicem* esse *demonstrationem*, δεικτικὴν καὶ στερητικὴν, *Apodicticam*, & *Negativam*, sive ducentem ad impossibile. Posterior hæc in præsenti negotio est illa, quæ fallas Religiones destruit; & hujusmodi demonstratio sufficienter ex vi *rectæ Rationis*, & ex principiis naturalibus formari potest. Neque enim inter Idololatras & Gentilium Superstitionibus deditos defuerunt viri sagaciores, qui Idolorum & Polytheismi vanitatem perspectam habuerunt. (d) Id quod passim probant *Justinus Martyr*, *Clemens Alexādrinus*, *Tertullianus*, Cyprianus, *Theodoretus*, Cyrillus, *Augustinus*, *Lactantius*, *Eusebius*, alii. Altera est *Demonstratio Ostensiva*, qua Res spirituales, pietatis nempe, atque salutis mysteria, ita planè & potenter patefiunt, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, uti loquitur Apostolus, 1 Cor. II. 4. ut omnes prorsus λογισμοὺς, πᾶν ὕψωμα, πᾶν νόημα dejiciantur, nihilque supersit, quod adversus mysteria Christi, & quod ipsi debetur obsequium, regerere possit sapientia Carnis.

Agnoscimus quidem ex Scripturis jam revelatis plurimam de rebus sacris notitiam haurire posse etiam impios & hypocritas. Sensum quippe *Grammatica-*

(b) *Val. Smalcius contra Frantzium, disput poster 8. Volkel de vera Relig. l. 5. c. 18.*

(c) *Arist. priorum Analyt. l. 2. c. 14. & poster. Analyt. l. 1. c. 22, 23.*

(d) *Just. Mart.* ἐν λόγῳ παραινετικῷ, *& Apol. 2. Clem. Alex. in Protreptic. Tertul Apol. cap. 12, 17, 46. Cypr. de vanitate Idolor. Theodoret. de curand. Græc. affectib. ser. 2. & 3. Cyril. contra Julian. l. 1. Aug. de Civ. Dei l. 4. c. 31. Lactant. l. 3. c. 3 Euseb. de præpar. Evang. lib. 13. c. 13. & lib. 14. c. 16. Joseph. contra Appion, lib. 2.*

maticalem, & ex datis principiis dogmatum *consequentias*, Linguarum *idiotismos*, & ex Gentium moribus natas loquendi formulas, atque hujus generis alia ſatis percipere atque indagare poteſt nativum Rationis lumen, bonis literis & induſtriâ adjutum: quin & quandam Evangelii *vim*, *donum cœleſte*, *verbi divini guſtū*, *& futuri ſeculi virtutes*, hujuſmſmodi hominibus notas fieri docent Apoſtoli, *Heb.* VI.4,5. 2 *Pet.*II.21.

At non pertingit omnis iſta notitia ad gradum illum quem Chriſtus ἔλεγχον, Apoſtolus φανέρωσιν πνεύματος καὶ δυνάμεως vocarunt, *Joh.* XVI.8. 2 *Cor.* IV.2. Id ut manifeſtum fiat, notandum eſt (quod etiam apud omnes pro confeſſo habetur) myſteria Evangelii in *eum finem* patefacta fuiſſe, ut nos totos Chriſto in obſequium ſubjicerent, adeóque notitiam tum demum Rectam eſſe, & objecto ſuo proportionatam, cùm conſcientiam purificet, voluntatem in obedientiam flectat, integrum hominem mente & ſpiritu reddat Cristo conformem, taléſque in nobis de Deo, de peccato, rebúſque æternis conceptus ingeneret, quales in mente Chriſti vigebant, ut eadem cum illo dicamus, ſentiamus, judicemus, 1 *Cor.*II.16. Cùm itaque certum ſit Appetitum Rationalem ſequi ultimum dictamen, & *ſpirituale lumen* Judicii practici, niſi eò pertingat cognitio noſtra ut pietatem ingeneret, manifeſtum erit lucem Evangelii ſpiritualem, ſalvificam, plenam nondum ſeſe mentibus noſtris patefeciſſe.

Verbo ut expediam, duplex eſt rerum ſpiritualium notitia: *Intellectualis* una, cui ſedes in *mente*; *practica*, & experimentalis altera, cui ſedes in *corde*,

de quâ Apostolus, *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis* (est scilicet cognitio sanctis peculiaris) *quæ sit illa longitudo, latitudo, profunditas, & sublimitas*, & *nosse charitatem illam Christi omni notitiâ supereminentiorem*, Eph. III. 18, 19. et alibi ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ vocat. *Omnia*, inquit, *damnum esse duco, propter eminentiam notitiæ Christi Jesu Domini mei*, &c. *Phil*. III. 8, 9, 10. quâ nempe vim Resurrectionis & communionem perpessionum ita apprehendimus, ut morti ejus conformes reddamur. *Quis sapiens*, inquit Jacobus, *& scientiâ præditus? demonstret ex bona conversatione opera sua*, Jacob. III. 13. *Per hoc scimus*, inquit Joannes, *nos eum nosse; si mandata ejus observamus: Qui dicit novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est*, 1 Joan. 2, 3, 4.

Quamvis enim sensus verborum, & consequentiarum inter se connexio manifesta sit judicio *intellectuali*, non tamen demonstrativè & plenè præsentatur Evangelica veritas judicio *practico* sub ratione *summæ bonitatis*, & cœlestis dulcedinis, tanquam *impervestigabiles divitiæ*, Bonum *omni acceptatione dignissimũ, pretiosũ, totum desiderabile*, cujus comparatione, quicquid uspiam appeti solet sit *stercus & damnum*, nisi voluntatem & conscientiam suavi impulsu trahat ad obediendum Christo. Sicut itaque multùm interest inter orbis terrarum notitiam, è tabulis tantùm Geographicis edoctam, & aliam illam quæ αὐτοψία, longo rerum usu, & diligenti lustratione ac peragratione itinerum comparatur: ita non minùs est discriminis, inter levem & evanidam illam rerum supernaturalium notitiam, quæ solo Rationis *discursu* acquiritur, & aliam quæ *gustu*

Eph. 3. 8.
1 Tim. 1. 15.
1 Pet. 2. 7.
Phil. 3. 8.

cordis

cordis percipitur, quæ *tabulis carneis* inscribitur, quæ auspice & ductore spiritu animis illabitur, quæ denique mirâ & ineffabili suavitate interiorem hominem perfundit. *Quod* enim *in cibis gustus, in sacris intellectus*, uti loquitur magnus *Basilius* : unde qui Deum *Novisse* dicuntur, *Rom.* I. 21. negantur tamen ipsum in *notitiâ habuisse*, vers. 28. Quamvis enim lux aliqua maneret in *mente*, in *corde* tamen errabant ἀγνοοῦντες καὶ πλανώμενοι, *Heb.* III. 10. & V. 2. unde peccata vocantur ἀγνοήματα, *Heb.* IX. 7. Præclarum est istud Aristotelis; Ὁποῖός ποθ' ἕκαστός ἐστι τοιοῦτο καὶ τὸ τέλος φαίνεται αὐτῷ. Qualis quisq; est secundum animi sui habitum, talis ipsi *finis* apparet. Quibus itaq; corruptus est animi habitus, & in vitia præceps, fieri non potest ut ipsis donum aliquod supernaturale appareat sub conceptu *finis ultimi*, & summè eligibilis. Posito enim *fine*, *media* eliguntur, & *deliberatio* de iis habetur. Naturaliter quippe quisq; in suum finem fertur, est enim simpliciter appetibilis. Consultatio autem & electio ea spectant quæ sunt ad finem. Cùm itaque Impii media ad finem supernaturalem non eligant, manifestum est nec ipsum bonum supernaturale sub ratione summi boni & finis simpliciter appetibilis ab ipsis concipi.

Ethic. Lib. 3. cap. 7

Ex quibus ita explicatis manifestè sequitur, Ad perfectam & propriam rerum supernaturalium cognitionem, non sufficere ex parte *objecti Revelationem*, nec ex parte *subjecti* debitum *usum rectæ rationis*, sed insuper requiri *Gratiam* Christi & *speciale adjutorium* Spiritûs sancti, quo cor aperiatur, emolliatur, et supernaturalis veritatis dulcedini habeat

pro-

proportionatam ἕξιν & gustum spiritualis judicii.

Probatur *primò* ex iis sacræ Scripturæ locis, qui soli Spiritui hanc virtutem tribuunt, ut assensum firmum rerúmque Evangelicarum intellectum ingeneret. Ille est qui *dat cor ad intelligendum, & oculos ad videndum*, Deut. XXIX. 4. *Dabo eis Cor*, inquit, *ut sciant me*, Jer. XXIV. 7. & XXXI. 34. *Erunt omnes docti à Deo.* Joan. VI. 45. *Pater gloriæ det vobis spriritum revelationis & sapientiæ in agnitione ipsius, ut illuminatis oculis mentis sciatis, quæ sit spes vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hereditatis ipsius in sanctis*, &c. *Eph. Quisquis audivit & didicit, venit ad Christũ*, Joan. VI. 45. unde vocatur ἀκοὴ πίστεως Gal. III. 2. Quisquis itaq; non venit, profectò nec didicit. Ita enim, inquit *Augustinus*, Deus docet per spiritûs gratiam, ut quod quisq; didiceret, non tantùm *cognoscẽdo videat*, sed etiam *volendo appetat*, & *agendo perficiat*. Et iterum: Qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, *intus à Patre audiũt* atque discunt: qui autem non credunt, *foris audiunt, intus non audiunt*. Ille est, qui *dat nobis mentem ut cognoscamus*, 1 Joan. V. 20. *Qui mentẽ aperit ad intelligendũ*, Luc. XXIV. 45. *Cor* etiam *ad auscultandum*, Act. XVI. 24. & *ad Jesum pro Domino agnoscendum*. 1 Cor. XII. 3. unde frequens illa Davidica precatio, quâ rogat ut Deus ipsum doceret, oculos aperiret, intellectum daret, cor dilataret, & in scientiam atq; obsequium mandatorum adduceret, *Psal.* CXIX. 18, 26, 27, 33, 73, 125, 144, 166. Neque enim nisi *Spiritu Domini possumus, quasi retectâ facie, gloriã Domini intueri*. 2 Cor. III. 15-18. Deum scire nemo potest nisi Deo docente, hoc est, *sine Deo non cognoscitur Deus*, inquit *Iræneus*.

Aug. de gratia Christi, lib. 1. cap. 14.

De prædesti. Sanctorum, c. 8.

Iræneus lib. 4. cap. 14.

Irenæus. A Deo discendum est quid de Deo intelligendum sit, quia non nisi se Authore cognoscitur, inquit Hilarius. Præclara sunt Concilii Arausicani verba. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere.

Hilar. de Trin. lib. 5.
Concil. Arausic. can. 7.

Probatur Secundo, ex immani illa distantia & disproportione inter objectum & facultatem. Facultas enim est tota [illegible] objectum [illegible]. Facultas autem animalis non magis potest quæ ad Spiritum pertinent percipere, quam facultas sensitiva, quæ ad rationem. Spiritualia enim sunt spiritualiter dijudicanda. Altus est hic mysteriorum puteus, nec nobis suppetit in quo hauriamus, Joan. IV. 11. Soli spiritui Dei nota sunt profunda Dei. Reus communium opinionum, inquit Hilarius, consilii cœlestis est incapax: Hoc solum putat in natura rerum esse quod aut intra se intelligit, aut præstare potest ex sese.

Hilar. de Trin. lib. 1.

Duo autem præcipua sunt impedimenta quibus obstruitur mens & quasi ligatur quo minus plene & secundum insitam Evangelii pulchritudinem de rebus supernaturalibus sententiam ferat. Augustino sunt Ignorantia & difficultas; Clementi Alexandrino, [illegible]. Primum est nativa cæcitas, quæ neque potest [illegible] attingere, nec lucem quamvis effusam & radios suos mittentem recipere: de qua vide Ier. VI. 10. Joan. I. 5. & III. 9. & IV. 11, 12. Eph. IV. 17, 18. Joan. XIV. 8. 2 Pet. I. 9.

Aug. Retract. l. 1. c. 9. lib. de Arbitr. l. 3. c. 18
Clem. Alex. Strom. l. 7.

Secundum, Sapientia Carnis, durities & contumacia cordis, φρόνημα σαρκὸς de quo dicit Apostolus, quod sit ἔχθρα εἰς Θεὸν, Rom. VIII. 7. nec ei subjici *aut velit* propter superbiam, *aut possit* propter inscitiam & pravitatem. Sicut enim *Appetitus carnis concupiscit adversus Spiritum,* ita *Prudentia carnis* adversus Legem & Lumen spirituale rebellis obstrepit: quod passim docent sacræ Literæ, 2 *Cor.* X. 4, 5. *Luc.* VII. 30. *Mat.* XXIII. 37. & XXI. 42. *Jer.* V. 12. *Zech.* VII. 11. *Act.* VII. 39. *Rom.* IX. 33.

Atque hujus *Inimicitiæ* & contumaciæ mentis adversus lumen spirituale causa est *Iniquitatis dilectio,* & conscientia sceleribus inquinata cui non potest non grave & molestum esse quando occulta dedecoris ὑπὸ τοῦ φωτὸς ἐλεγχόμενα φανεροῦται: *qui enim male agit odit lucem,* Joan. III. 19, 20. Ephes. V. 11, 12.

Aristot. Metaphys. lib. 1.

Egregiè Philosophus, αἱ ἀκροάσεις, inquit, κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσιν· ὡς γὰρ εἰώθαμεν, οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι. Qualis est cujusque vita & mores, talem esse vellet quam recipit doctrinam; unde *impii cessare ab ipsis cupiunt sanctum Israelis,* Isai. XXX. 10, 11. &, *Qui vates erit pro vino & sicerâ, ille erit vates populo huic,* Mic. II. 11. Mire contra ingenium, & anima quæ se totam tradit Christo in obsequium, quicquid spiritualis lucis effulget, avide amplexatur, quippe quæ mentem habet Deo conformem. *Si quis,* inquit Dominus, *voluerit Patris voluntatem exequi, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit,* Joan. VII. 17. *Docebit humiles viam suam, & secretũ Domini notum faciet timentibus eum,* Psal. XXV. 9, 14. *Oves Christi ejus vocem audiunt, & illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus,* Joa. X. 3, 4. *Si quando det iis Deus pœnitentiam ad agnitionẽ veritatis,* 2 Tim. II. 25.

II. 25. Qui enim peccati dilectione captivi detinentur, præ *irâ* adversùs veritatem insurgunt, nec cum *mansuetudine* recipiunt insitum sermonem, tardi ad audiendum, ad loquendum contra obstrependumq; præcipites, *Jac.* I. 19, 20, 21. *Contentiosi* quippe sunt qui veritati obtemperare nolunt, *Rom.* II. 8. Optimè Philosophus de rerum practicarum cognitione, Ἃ μαθόντας ποιεῖν, ταῦτα ποιοῦντες μανθάνομεν. Et *ex mandato*, inquit *Hilarius*, *Mandata cernemus*, Τήρησις ἐντολῶν γνῶσις τοῦ Θεοῦ, inquit *Basilius*. *Si in lumine Christi ambulare volumus, à præceptis ejus & monitis non recedamus*; ita Cyprianus. Ante omnia, *Opus est Dei timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem*: ita Augustinus. [illegible]; ita Gregorius Nazianzenus.

Hilar. in Psal. 119. Gimel & Beth. Basil. de Martyre mamante. Cypr. lib. 2. Ep. 3. Aug. de doctr. Christ. lib. 2. cap. 6. & de Trin. l. 1. c. 1. Greg. Nazian. Orat. 26. & 33.

Ut itaque Quæstioni huic de naturalis Rationis gradu in rebus fidei finem imponam, statuendum est, 1. * Res cœlestes Rationis captum excedere, sunt enim *Supra rationem Rectam*. 2. Easdem prudentiæ carnis adversari, sunt enim *Contra rationem Pravam*. 3. *Naturam indigere Gratiâ*, ut facultas ad supernaturale objectum recipiendum ritè disponatur. 4. *Gratiam uti Naturâ*, ut mentis acumine, judicii perspicaciâ, & bonarum literarum luce feliciores fiant in sacrarum literarum studio progressus. Denique Gratiam Spiritûs sancti esse *Principium*, Rectam autem Rationem Spiritu adjutam tantùm * *Instrumentum* spiritualis notitiæ.

Hilar. de Trin. l. 10. in initio. * *Ubi ad profunditatem Sacramentorum perventum est, omnis Platonicorum caligavit subtilitas. Cyp. de Spirit. sancto.*

Si ratio contra sacrarum Scripturarum authoritatem redditur, quamvis acuta sit fallit. Aug. Epist. 7. Vide etiam Ep. 56. & Danæum in Aug. Enchirid. cap. 4. Sect. 9. Justi. Martyr. in exposit. Fidei. * *Unde Rationem Rectam vocat, Clem. Alex.* [illegible] *Strom. lib.* 1.

Jam subjungenda essent Corollaria quædam practica quæ doctrinam hanc nostris usibus accommodarent; mihi ea propter temporis angustias levi manu tetigisse sufficiet. Itaque

1. Ne nobis nimium adblandiamur, si forsan ex quisitissimis naturæ dotibus, ingenii acumine, sermonis elegantiâ, variâ lectione, longo rerum usu, Artium, Linguarum, Scientiarum omnium peritiâ, judicii gravitate, et Rationis pene angelicâ perspicaciâ nos Deus ornaverit, nisi simul accedat spiritualis *Gratiæ adjutorium*, quo ad cœlestis mysterii cognitionem dilectionemque adaptemur. Quamvis enim splendidissima hæc ingenii merito nobis in animis et affectibus hominum famam gratiamque conciliant; quamvis magnum inde reipub. Literariæ et Ecclesiæ Christi emolumentum accedat; nullum tamen ex sese aut ad Dei favorem, aut ad cœlestis beatitudinis mercedem consequendam momentum conferunt. Qui enim Noe recipiendo arcam suo artificio fabricarunt, ipsi tamen in diluvio submersi sunt. *Surgunt indocti & rapiunt regnum*, quando nos cum doctrinâ nostrâ eo majore exitio perimus.

Neque enim præstantissima naturæ & industriæ dona aut acutioris alicujus *morbi* cruciatus lenire, aut inquinatæ & rugientis *conscientiæ* ictus, & laniatus repellere, aut fugientem revocare *animam*, aut *Gehennæ* flammas quasi injectâ guttulâ minuere, aut denique horribilis *iræ* Dei excutiendo sustinendove oneri vel minimas vires subministrare possunt.

Et quamvis omnes cœli terræque arcanos & abditis-

ditissimos recessus, ingenii nostri solertia & rationis vis indagatrix penetraverit, non minùs longo tamen intervallo ab *Angelicæ* cognitionis gradu, cumuloque recedimus, quàm cum in staturam bovis assurgere voluit intumescentis ranæ vana ambitio. Hos tamen, Angelos inquam, post lapsum & apostasiam sub tenebrarum vinculis captivos detinet ira Dei, & advenientis judicii horribili metu & tremore concutit.

Quin & accedente nativæ nostræ pravitatis & superbiæ fermento, adversus gratiam Dei, & cælestis doctrinæ simplicitatem insurgit plerumq; sapientia carnis, hujusmodi instrumentis armata nequitiæ, spiritum sanctum, quo quasi gladio, fodit & impetit, ut solet ebullientis aquæ ira ignem cujus beneficio fervebat extinguere; Ut *Belshazzar* aurea Dei vasa in Idolorum suorum cultum adhibuit, *Dan.* 5. 2. Et quemadmodum Moses, Josua, David, aliique sancti heroes Gentilium spolia Deo consecrârunt, ita Satan, Dei æmulus, spiritûs sancti dona in regni sui commoda pervertit, et ab *iis ornari cupit*, uti alicubi loquitur Augustinus.

Tertul. de Bapt. lib. 5.

Proinde 2. nativam cordis nostri adversùs gratiam Christi Deique mandata contumaciam agnoscamus, et eo quo par est dolore lacrymisque defleamus, quì salutem respuere, misericordiam repellere, mortem ultro persequi, nosque ipsos *æternâ vitâ indignos* judicare solemus. Nempe ad *ostium nostrum* pulsat indies Gratia Dei, et nos supini obsurdescimus; in *aures* intonat, nos in utramque aurem dormimus; *expectat* dum ad saniorem mentem redeamus, et porrò insanimus; *obsecrat*

Jon. 2. 8.
Prov. 8. 39.
Acts 13. 46.
Apoc. 3. 20.

erat, & tristitiâ afficimus; *sinum* expandit & terga vertimus; margaritas obiicit, sub pedibus profano fastu conculcamus; *veste byssinâ, purâ, splendidâ*, armillis, coronis, & pretioso cultu ornare nos voluit, & veteri centone putridisque panniculis nostris seminudi tumidique incedimus: *Vinum, manna panem Angelorum*, cælestem nobis coenam parat, nos porcorum more siliquas voramus: deniq; *vulnera* sua explicat Christus quæ nos nequitiâ nostrâ laceramus: *sanguine* suo nos abluit, & in coeni volutabro jacemus: *voce, fletu*, clamore, lachrymis amplexus nostras sollicitat, & in libidinum ac pravarum cupiditatum sinum præcipites ruimus. O *Beatos* nos! quibus varia Dei sapientia affulget; O *Cæcos*! quibus & coelestis doctrina stultescit. O *beatos* nos! quos precibus Christus obsecrat: O *miseros*! si nec obsecranti Christo auscultemus. Agnoscamus insipidæ Rationis nostræ nugas & levitatem, quæ ea tantum in prædicatione Evangelii sectatur, & manu porrectâ arripit non quæ planctum sed quæ plausum moveant, quæque prurienti ingenio arrideant, nullum interim pietatis sensum gustumque conscientiis nostris ingenerent.

Proinde 3. sese muniant mysteriorum coelestium *ministri* adversus irrisiones & molestias quas Evangelii nomine expectandas habent. Neque enim munus suum detrectant *medici* aut adversus ægrotantium injurias iram reciprocant, quia forsan queruli & gementes manum medicam repellunt, sed patienter ferunt & Spartanâ nobilitate concoquunt furiosorum alapas, dum ipsis medicinam

ciam adferunt, quamvis pro gratia & beneficio contumelias odiumque referant. Id agamus serio ut peccatores peccati reos & convictos arguamus; ut justitiam Christi & viam sanctitatis conscientiis hominum commendatiorem reddamus; ut mysteria Dei non in sapientia carnis, sed *ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως* dispensemus; nec nobis plausum, sed Domino nostro animas lucremur, sanamque & coelestem doctrinam spirituali piorum gustui attemperemus. Plus nobis ex muneris rite administrati conscientia, ex testimonio Christi, & unius ovis deperditæ conversione solatii proveniet, quam ex Satanæ odio & impiorum hominum rabie aut triste quid aut incommodum metuere possimus.

Proinde, 4. discant oves Christi ea, quæ de Deo & Christo in Evangelii prædicatione tradita sunt, pro modo & mensura spiritualis judicii *probare*, & *quæ bona sunt*, uti docet Apostolus, *fide retinere*, 1 Thes. V. 21. Quoniam autem quamplurimi sunt, qui dum *carni* nimium indulgent, *Spiritûs* tamen fidem nomenque dictis suis præstruunt, ut majore emolumento fallant, & simplicium animos in erroris consortium facilius pelliceant, ideo nos monet Joannes Apostolus, ut *Spiritus judicemus*; *quia*, inquit, *multi pseudo-prophetæ in mundum exierunt*, 1 Joan. IV. 1.

At qua ratione, inquiet ovis Christi, possim doctrinam coelestem & Spiritus Christi testimonium ab aliis aliorum spirituum præstigiis & imposturis discernere? Quæstio sana gravissima, & quæ longâ disquisitione enucleari meretur: Unico, ego verbo expediam. Itaque

1. Suâ nativâ luce manifesta sunt omnia ad salutem & vitam æternam necessaria piorum animis in *quantum & quousque* pii sunt, suâque suavitate & gustu percipiuntur. *Oves enim Christi vocem ejus audiunt, & extranei vocem respuunt.*

2. Continuis precibus & assiduâ communione Spiritûs sancti conservandus est hic *spiritualis judicii gustus*: iis enim qui secundum pietatis normam vitam componunt, doctrinam suam Christus patefacere promisit, *Joan.* VII. 17. & *si quid aliter sentiatis*, inquit Apostolus, *hoc quoque Deus revelabit*, Phil. III. 15. nempe iis qui recto pede secundum lucem Evangelii conscientias moresque instituunt.

3. Qualis est Spiritus Dei, talia sunt, quæ ab ipso fluunt, doctrinæ mysteria: nempe Spiritus Christi mansuetus est, humilis, pacificus, sanctus, simplex, liber, cœlestis, sine fuco, & fraude, à terrenis affectibus consiliisque semotus. Si hujusmodi sint quæ fidei vestræ ab hominibus credenda proponuntur; si prudentiæ carnis, si *consiliis commodisque* humanis non attemperentur, nec in eum finem *de novo* cuduntur, ut artibus & astutiis hominum nectendis promovovendisque inserviant, (qualia sunt quæ nunc Temporis adversus *vocationem*, *dignitatem*, *sustentationemque ministrorum & bonarum literarum usum* passim apud imperitam plebem blaterant male feriati.) Si *concupiscentiæ* & libidini viam omnem & effugium obstruant; nullumque impiis *peccandi commeatum*, aut patrocinium præstent, (ut solent quæ adversùs Legis moralis spiritualem vivendi normam in vulgus spargunt Libertini:) Si *Liberrimæ Dei Gratiæ* non adversentur; nec *hu-*

liberi arbitrii vires in rebus ad salutem pertinentibus extollant; (Qualia sunt, quæ de Electione, Redemptione, peccato originali, vocatione efficaci, perseverantia Sanctorum, & his similibus post Pelagium & ejus reliquias de novo in Ecclesiis resuscitarunt Neophotiniani, aliique humanæ libertatis patroni.) Si Legibus & *Institutis* Christi contumeliosa non fuerint, nec Evangelicæ prædicationi & Sacramentis injuriam fecerint: (Qualia sunt eorum dogmata qui ista adultis & perfectioribus inutilia, & humiliora esse quam ut iis semper adhæreant fideles, superbo ore deprædicant:) Si Christo salutis, redemptionis, & *gloria Domino, & Deo in secula benedicto*, gloriam suam non surripiant; (Qualia sunt quæ adversus divinam Christi naturam, & sacrificium blasphemo ore vomunt Photinianæ pestis socii & hæredes:) denique, si præcones suos humiles reddant, mites, vitâ sanctos, fide sanos, sapientiâ simplices, institutis & moribus cœlestes, intra suos sese terminos modeste & sobrie continentes, à Spiritu Christi proficisci pro certo habeamus.

Denique cum mysteria Christi omnem superent Intellectum, *Adoremus* variam hanc Dei sapientiam, magnúmque cogitatum patris de mundo per Christum redimendo. Et supplices nos ad thronum gratiæ prosternamus, rogantes ut nos indies gratiâ & luce cœlesti perfundat, ut continuam spiritus ἐνέργειαν sentiamus, quâ ad doctrinam Evangelii percipiendam *apperiatur intellectus*, ad amplexandam *flectatur voluntas*, omnisque cogitatio in *captivitatem redigatur ad obedien-*

dum Christo. Quæ nobis singula pro immensâ suâ misericordiâ Pater coelestis gratiosè concedat per Christum Dominum nostrum; Cui, cum Patre & Spiritu sancto, sit omnis Laus, Honor & Gloria, in secula seculorum.

AMEN.

FINIS.